

**Hippocrates atheismi falso accusatus contra ... D. Nicol. Hieron.
Gundlingium ... / auctore D.W.T.D. [i.e. Daniel W. Triller].**

Contributors

Triller, Daniel Wilhelm, 1695-1782
Hippocrates
Gundling, Nicolaus Hieronymus, 1671-1729

Publication/Creation

Rudolstadii : Litteris Urbanianis, 1719.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qvyvrwv4>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



52001/A

A-x-p

By D. W. Triller

1 .

25
6 50 .



65718

Ch. B. Hall

HIPPOCRATES

ATHEISMI FALSO ACCVSATVS

CONTRA

VIRVM AMPL.

D. NICOL. HIERON. GVNDLINGIVM,

P. P. HALENS.

AVCTORE D. W. T. D.

Terentius Phormione:

Nil est,

Quin male narrando possit deprauarier.

RVDOLSTADII,

Litteris URBANIANIS, MDCCXIX.

Fekler.





VIRO

Summe Reuerendo atque illustri

JO. ALBERTO FABRICIO,

S. Theol. D. & P. P. Hamb.

AUCTOR.

QUae diu intra priuatos delituit
parietes, nunc demum in lu-
cem prodit *opella haec Anti-Gund-
lingiana*. TIBI eam inscribere,
ex eo iam, quo illam composui, tempore,
animus fuit. Feci duplici de caussa, vna
communi; altera singulari. Communis
est, quia TV hodie solus es in Germania
(citra adulationem loquor) humaniorum
& graecarum in primis litterarum praeses
& stator; quales olim in eadem Philippus
Melanchthon & Joachimus Camerarius
Viri memoriae numquam interiturae. Ad
Te solum par est, vt referatur, quidquid
in amoeno hoc studiorum genere aut su-
scipitur, aut tentatur, ceu ad aequissimum
iudicem & dignissimum arbitrum. Sin-
gularis autem est, ipsum illud solidissi-
mum iudicium, quod de Cl. Gundlingii
scripto tulisti in *Bibliotheca Graeca*, immen-

fae frugis & stupendae eruditionis opere. Hoc enim permotus illud cum cura legere coepi, scripsi contra illud, perrexi, perfecit tandem. Jure igitur TIBI hic reddo, quod monitu TVO & iussu effectum est. Tutare leuem hanc Exercitationem contra sinistra, quae praeuideo, maleuolorum censorum iudicia, & vitilitigatorum censuras; & si qua offendis, quae TIBI met ipsi minus probentur, pro virtute TIBI propria, i. e. humanitate, aut tege, aut mone: Tam cito certe non monueris errantem, quam cito ego monentem sequar. Vale VIR SVMME, in orbis commodum, Urbis Tuae decus, & inuifarum graecarum hodie nimis proh dolor! fastiditarum singulare praesidium, mihi que illum fauorem, quem per humanissimas litteras mihi declarasti, aeternum serua. Scripsi Lipsiae cl̄ioccc̄xviii. die Nov. vltimo.

INTRODVCTIO.

HIPPOCRATES, quem omnia iure saecula laudarunt, & si qua sint futura, laudabunt; haecenus breviloquii tantum & obscuritatis cuiusdam (quo iure, alibi erit dispiciendum) fuit a quibusdam accusatus: nunc vero, decennium est, & quod excurrit, Atheismi, pudet dicere, accusari quoque coepit. Idque vnius, quod mireris LECTOR, Viri eruditi ausu, aut lusu potius atque *Otio* factum est. Rem Tibi omnem pandam: Edidit Vir amplissimus *Nicol. Hieronymus Gundlingius Otia*, siue Exercitationes quasdam philosophici, historici & mixti argumenti, quarum *Part. II. Cap. III.* inscriptum est HIPPOCRATES Ἀθεος. Ibi omnes ingenii, quotquot habet, intendit nervos, ut probet, optimum & pientissimum senem pessima illa Atheismi peste fuisse contaminatum. Hocque tanta sui egit cum fiducia, ut ita scribere nullus prorsum veritus sit: *Hippocrates Atheis adscriptus est paganus, et iam diu fato suo functus, ita ut mihi persuadere haud possim, futurum quempiam, qui mihi grandem ea de re scribat dicam, aut unum ex eius posteris, qui*

me in ius rapiat &c. Quantulum autem hoc argumentum ponderis habeat, in aprico esse arbitror. Nam esto, Hippocratem fuisse paganum, esto, eum diu iam ad plures abisse: an exinde quaeso sequatur, eum pro lubitu esse traducendum, eiusque famae tam indelebilem notam esse inurendam? quasi vero mortuo leoni sit insultandum, & Hercules vel post fata Hercules non maneat! Et licet *nec de Graeciae salute, aut Apostoli fama*, ut alibi *μωκρησίζων* loquitur Cl. Gundlingius, *disceptetur*: sermo tamen est de homine ciuilitate, ut sic dicam, bono, immo de vniuerso humano genere, quid enim sanitate pretiosius? optime merito, quem citra rationem laedere, nec fas finit, nec ius permittit. Equidem concedo, ut postulat Vir Cl. quadamtenus, non existenti nullam inferri posse iniuriam: Nam quod numquam extitit, numquam affici potuit; at illud aegre huc quadrat. Etsi enim non amplius existit Hippocrates, extitit tamen aliquando, & fama fuit super aethera notus. Potest igitur omnino ipsius famae, quae adhuc superat, & per tot illustrium virorum suffragia & testimonia, nouas indies adquirat alas, per detestandam Atheismi

im.

imputationem, labes virulenta adfricari, adeo, vt illi, qui haectenus Hippocratis obscuritatem suae somnolentiae ceu peripetasma obtenderunt, nunc in Atheismo ipsi imputato, eiusdem simul inueniant tutamentum. Nam certe per Cl. Gundlingium, illi imposteriorum laudem merebuntur maximam, qui se religiosa scilicet mente, ab Hippocratis lectione penitus abstinebunt; quam tamen vt saluberrimam & optimae frugis plenissimam, omnibus & Medicis, & Philosophis ceterisque doctis, sedulo potius commendare addecebat: Est enim Hippocrates vere ille,

*Qui genus humanum ingenio superauit, &
omnis*

*Praestinxit, stellas exortus uti aetherius sol,
Quique per artem,*

*Fluctibus e tantis vitam tantisque tenebris,
In tam tranquillo, & tam clara luce locauit.*

Hoc igitur spissum praeiudicii glaucoma utiis abstergerem, qui

*Omnia magis admirantur, amantque
Inuersis quae sub verbis latitantia cernunt,
Veraque constituunt, quae belle tangere
possunt*

Aureis, & lepido quae sunt fucata sonore.

Vtque veritati, cui vnice milito, suus constaret honos; Hippocratem *praesenti Exercitatione* defendere, & ex *decennali*, vt sic loquar, *Atheismo* manu non leuibus, vt spero, argumentis armata, eripere, operae visum fuit pretium,

Ne eum circumuentum inique iniqui irrideant.

De eruditis enim & emunctae naris hominibus, certus sum atque securus, neminem esse, fuisse, aut fore, qui nouae huic & infirmae Cl. Gundl. opinioni aut suffragatur, aut suffragatus sit, aut suffragabitur: quum quotquot illius fecerunt mentionem, eam non tantum non adprobarint, sed & adeo cum censura dimiserint. *Celeb. Fabricius Bibl. Graeca L. II. c. XXIV. p. 843.* Cl. Gundlingii argumenta vocat *minime certa atque euidentia, qualia in tam graui criminatione merito desiderentur.* Summe Reuerendus Buddeus *Hippocrati sine sufficienti ratione Atheismum a Cl. Viro fuisse obiectum* pronunciat, *Tract. de Atheism. Cap. 1. §. XX. p. 77.* adde omnino *Not. p. 84.* Haec magni illi Duum-Viri, breuiter quidem, sed solide & vere. Qui Cl. Gundlingio data opera contradixisset, eiusque argumenta trutinasset, aut trutinare voluisset, praeter Cl. Goe-

Goelickeum, noui certe neminem. Is enim Halae e cathedra publice contra ipsum declamauit, illamque declamationem mox publici quoque iuris fecit. Sed quid ibi praestiterit Cl. Goelickeus, ex responsione Cl. Gundlingi *Bibl. Nou. Halens. Part. XXIX.* inserta, iam experiemur: *E tota*, ait ibi Cl. Vir, *quam publice Goelickeus recitauit, oratione luculenter elucet, eum dissentire quidem a me, non autem soluisse dubia, vel declinasse exceptiones, quas plena manu in medium attuli.* Non penitus, vt fatear verum, errauit hic Cl. Gundlingius: Nam praeter generalia quaedam vix quidquam illa Apologia tractat, vt taceam eum eodem, ac Gundlingius, modo, erroneam circa *nomen Naturae* Hippocrati opinionem adscripsisse, de qua in hoc ipso opusculo plura. Dicit quidem hic, credo, Cl. Goelickeus: Oratio est, quae vt omnia accurate & verbose persequeretur, non permisit: Sed, si licet, respondeo, defensionem pro prisco quodam Auctore, vbi ipsa illius verba & loca controuersa sunt alleganda, eorundemque verus ac genuinus sensus est eruendus, resque philosophice tractanda est, angustis & circumscriptis oratiunculae limitibus, vbi & auditorum,

temporisque & sermonis nitore utique ratio est habenda, commode includi vix posse. Non autem erat, quod ea propter triumphum caneret atque intumesceret Cl. Gundlingius, illas enim, quas plena manu in medium attulit exceptiones, plena quoque manu, si cum illo gloriari liceat, e medio sustuli.

Triennium quidem fere iam est, ex quo hanc defensionem conscripsi, & hinc quaedam, quae tum admodum adolescens, vel superflua, non diffiteor, addidi, vel peregrina, ut videbuntur, admiscui, iam rescindere potuissem, vel expungere. Sed neutrum volui, quia & illa cum fructu quodam legi posse augurabar.

Ceterum Cl. Gundlingius haud aegre, spero, feret, quod contra ipsum scripsi: usus enim eadem sum libertate in excusando, qua ipse in accusando Hippocrate; accedit, quod ipse Vir Cl. illud non improbavit, sed concessit potius, quin & inuitavit, si quispiam rationibus in contrarium instructus modeste accederet: quod quanta cum cura a me fuerit observatum, in ipso meo opusculo satis liquebit.

Haec quae praemitterentur, quaeque **LECTOR** scires, visa sunt. Nunc

*Quod superest, vacuas aureis mihi, -- & TE
Semotum a curis adhibe veram ad rationem,
Nec mea dona TIBI studio disposita fideli,
Intellecta prius quam sint, contempta re-
linquas.*

§. I. Quod



§. 1.

QUOD primo ad *nomen Athei* attinet, adserit Cl. Gundlingius, recensitis prius variis huius nominis significationibus, se per Atheum illum potissimum intelligere, qui negat, DEVM hoc vniuersum condidisse, quod Epicurus fecisse dicitur: porro, qui DEVM & mundum seu materiam confundit, vt accusatur Spinoza. Sed hanc definitionem ad *Naturalistam*, vt loquuntur, Atheo quidem ad finem, potius pertinere, nemo est qui non perspiciat. Tantum autem abest, vt illorum agam causam, vt potius dicam, priorem ingenio suo abusum, posteriori vero eodem haud *in foecundo quidem*, vt summe rever. Buddeus loquitur, malitiose vsum & per suas demonstrationes geometricas seductum, causam efficientem confudisse cum causa materiali, & immateriale miscuisse cum materiali, non cogitantem illud Sallustii, πόθεν ἢ τάξις τῶν κόσμων, εἴπερ μηδὲν ἦν τὸ τάττον; Aliam ergo Athei definitionem seu conceptum lubet

Zenone.

bet suggerere breuem quidem sed verum, nisi fallor, & iustum. Scilicet dixerunt Stoici, teste Diogene Laërtio, διπτὸν εἶναι τὸν ἄθεον, τόντε ἐναντίως τῷ Θεῷ λεγόμενον, καὶ τὸν ἐξἄθενητικὸν τῷ Θεῷ, duplicem esse Atheum, tum eum, qui contrarius dicatur Deo, tum eum, qui Deum prorsus habeat pro nihilo; non, qui adspicitur, vt male τὸν ἐξἄθενητικὸν expressere in Stephani Editione: illud enim ex hac quidem versione, idem fere esset ac praecedens ἐναντίως τῷ Θεῷ λεγόμενον. Nunc ad ipsa verba: priora apta satis ac sufficientia ad exprimendam de Atheo ideam contendimus. Est itaque Atheus ὁ ἐναντίος τῷ Θεῷ, seu quod idem, τῷ Θεῷ, qui DEO contrariatur, h. e. qui ipsius sapientiam, potentiam, veritatem, iustitiam, prouidentiam, & quae sunt attributa, vt Theologi loquuntur, alia, non omnia negat quidem prorsus; sed minora tantum ac inferiora putat, ac re sunt vera, & ita διὰ τὸ Φάουλως καὶ μηδὲν ἡμῶν βελτίως ἠγείσθαι τὴν φύσιν εἶναι τῆς Θεῆς, vt apud Porphyrium legitur: Ex quo contemptu, seu minori, ac par erat, DEI aestimatione, pessima deinceps ac horrenda oriuntur vitia, ἀσωτία, effrenis libido, οἰνοφλυγία, κώμοισαπροὶ, seu ut ap. Euripidem est σαθροὶ λόγοι, ἐπισηκία & alia huiuscemodi centena,

Lib. II. περὶ
ἄποχ.

centena, quorum multa recensent St. Petrus & Paullus. Quod ad posteriora *1. Ep. c. IV.* verba, ea potius ad brutum, quam *adde Rom.* hominem pertinent, vti & loquuntur *I, 29. sqq.* Viri maximi Grotius, Bentleius, Buddeus, qui enim DEVM esse plane negat, ille non est Atheus, sed insanus & omnibus orbis sensibus, nec hominis nomine, vt dixi, dignus. Hinc & talis Hieropsalti dicitur *Ps. XIV. & LIII.* לבל h. e. vt LXX. fenes optime reddunt, ἀφρων, insipiens, stultus. Vt enim hic nihil dicam de lege illa mortalium pectori inscripta, seu ἐμφύτω γνώσεως θεῶν idea & obscuris post lapsum lineis, a multis quippe priscis aeque ac recentioribus in dubium vocatis, certis tamen ceteroquin, vt solide demonstravit Summe Rev. Buddeus: certe cuilibet, *De Ath. C.* qui non prorsus obbruit, ex mira *V. s. I. Not.* hac concinnaque huius vniuersi structura, ex signis coelestibus, tum duobus illis magnis; tum ceteris innumerabilibus paruis; breuib; ex rebus creatis omnibus innotescet, non esse hominis de mortali femine nati, haec omnia produxisse, eaque tam diu, ordine non interrupto, conseruasse ac gubernasse, & adhuc gubernare. Hoc est, quod & Paullus vult, *Rom. I, 19.* quum dicit: τὸ γνωστὸν τῶ θεῶ paganis fuisse

fuisse φανερόν nempe ἀπὸ κτίσεως κόσμου; quicum conferri poterit, quod Plutarchus in hanc rem disse- ruit libro *de Philosophorum placitis I. cap. VI.* πόθεν ἔννοιαν ἔχον θεῶν ἄνθρωποι, ubi diserte exponit, quod τὸ κάλλος τῶν κόσμου, cum sole, luna, astris &c. ho- mines impulerit, ut crederent DEVM esse; cui & assentitur Auctor libri *περὶ φιλοσόφου ἱστορίας* vulgo Galenus cre- ditus, ubi §. est: πόθεν ἔχομεν ἔννοιαν θεῶν; ad quod ita respondetur: ἔχο- μεν ἔννοιαν τῶν (θεῶν) ἐκ τῶν κάλλους καὶ μεγέθους τῶν ὁραμένων αὐτῶν δημιουργιμά- των. ἔθεν γὰρ τῶν καλῶν εἰκὴ γεγέννηται, ἀλλ' ὑπὸ δημιουργῶ σοφῶν, κ. τ. λ. Hinc & Maximus Tyrius scribit: τὸ βαρ- βαρικόν, ὁμοίως ἅπαντες μὲν ζυνετοὶ τῶν θεῶν, κατεσησαντο δὲ αὐτοῖς σημεῖα ἄλ- λοι ἄλλα, quale quid etiam apud Ci- ceronem legitur; sed & apud Sene- cam, adde Summum Grot. *de V. R. C. L. I. §. 2. &c.* Fuerunt tamen nihilo- minus quidam, si fides habenda est Auctoribus, qui temere & ἀλόγως nul- lum esse DEVM assererent. Talis fu- it Diagoras Melius, de cuius impie- tate & ἀθεότητι videndus potissimum Scholiastes Aristophanis *tam ad Nu- bes, quam ad Aves*, Athenaeus *Deipnos. L. XIII.* Plutarchus *de Pl. Pb. l. VII.*

Opp. Gal.
T. IV. p.
427.

Diff.
XXXVIII.

Athe.

Athenagoras *in Legat. pro Christ. p. 7.*
 Lactantius *de Ira Dei & alibi*, item
 Aelianus *H. V. II, 31.* & quae ad eum
 obseruauit doctissimus Kuhnus, vt
 alios plures nunc fileam: Tales et-
 iam fuisse fertur Theodorum Cyre-
 naeum, & Euemerum Tegeatem
 Plutarcho l. c. allegatos. Vnde mirari
 subit, qui Cl. Gundlingius scribere po-
 tuit, *nullum fuisse inter subtiles & philo-
 sophos Atheos, quam Diagoram & forte
 Theodorum*: hic enim manifeste ipsi
 contradicit Plutarchus addendo Eue-
 merum Tegeatem, immo & ipsum
 Euripidem Tragoedum, qui ne iudi-
 cii Areopagitici incurreret rigorem,
 Sisyphum εισηγάγε προσάτην τῆς δό-
 ξης, ipsius Plutarchi sunt verba; nec
 desunt etiam alii bene multi, quos re-
 censet Summe Rev. Buddeus saepius
 iam citatus. Scio hic quidem, quae
 in defensionem eorum, qui olim in
 Atheorum relati fuerunt numerum,
 adferri solent a Viris eruditis. Sic
 Heraclitum ingeniosissime defendit
 B. noster Gothofredus Olearius, Plu-
 tarchum contra Molinaeum Celeberr.
 Fabricius, ipsumque denique Eueme-
 rum, vt & Euripidem Summe Rev.
 Buddeus &c. Sed ideo praesidium
 non inuenit Cl. Gundlingius, sufficit
 enim

enim eos pro Atheis *ὁμολογημένως* fuisse habitos, non autem disquiritur, quam recte pro talibus fuerint habiti, illud est historiae, quam tractat ibi Gundlingius, hoc veritatis, quae alibi erat inquirenda. Ceterum etiam ego illud haud capio, quomodo illi vocari possint *subtiles*, ut ait Cl. Auctor, *Athei*, qui DEVM aperte negant; Verius enim ego, & alius tales dixerit crassos, ut ita dicam, atheos, & prout supra iam demonstraui, stolidos insanosque. Sed haec dicta sunt de Athei nomine, quibus qui plura velit addere, adeat aureum Buddei librum saepius supra allegatum: nobis in praesenti plura proferre nec libuit nec licuit, quum ad specialiora iam sit transseundum.

§. II.

Sed nunc ponamus, illum, ut vult Cl. G. esse Atheum, qui negat, DEVM mundi esse conditorem, qui que confundit DEVM cum materia: Quid illud quaeso ad bonum applicandum, aut potius trahendum erat Hippocratem, cuius nunc in me partes suscipio? an ille inquam Spinozismi erat accusandus? Sane ego non puto, nec alius forte, qui sedulo, cum iudicio, & *in connexionem* ut loquuntur, Magni Hip-

Hippocratis peruoluit scripta : non sine ratione addo : *in connexione*. Hac enim plerumque, non dicam, semper, a Lectoribus neglecta, factum est, ut optimo Hippocrati peregrinus adfingetur sensus, & hinc tanti Auctoris famae non parua inferretur iniuria. Quod infra patebit clarius, quum ventum fuerit ad ipsa illa loca, quae ad probandam Hippocratis ἀθεότητα non cum cura legerunt, sed sine cura & raptim quasi collegerunt, ut ita loqui liceat, ἀθεοποίηται. Ut igitur dicam, quod res est: Saepius apud diuinum senem vox φύσιος legitur, quam nunc vocat ἀπαίδευτον, item ἀδίδακτον, nunc δικαίην & δικαιοτάτην, nunc ἰητρὸν νόσων, nunc aliis condecorat nominibus & elogiis. Haec ergo quum legerent quidam, qui sciebant & Stoicis & aliis Philosophis solemne fuisse, ut supponerent generale quodpiam principium, quod omnia gubernaret, per omnia esset diffusum, quod esset iustum, sapiens, aeternum, perfectumque, idque iam sub nomine ψυχῆς τῆς κόσμου, iam sub voce τῆς νόσ, iam sub notione αἰθέρος, iam sub vocabulo Διός, immo etiam ipsius φύσιος &c. venditarent: statim in eam delapsi sunt sententiam, ut & tale quid Hip-

Praef. P.
II. Or.

pocrati ne cogitanti quidem ea de re, adscriberent; sed delapsi vt dixi, & simul grauius lapsi sunt. Nollem autem ita lapsum fuisse Lipfium, taedet fari, impegisse etiam hic Clericum medicum doctissimum celeberrimumque, erubesco fere dicere, magnum quoque Boyleum illud Angliae fidus hic eclipsin quandam fuisse passum, vt alios taceam: Condonandum igitur eo facilius Cl. Gundlingio, si tot heroes errantes secure sequutus etiam a via aberravit, quippe qui aperte fatetur, *se Hippocrati adscripsisse sententiam multis gentilibus gentilem*, quod tamen, vt quiuis videt, non sufficit: erat enim illa sententia probanda, non adscribenda. Probare quidem illam videtur variis locis, ex ipso Hippocrate allegatis, & infra a me explicandis & expendendis; sed, vt Lector perspiciet, probare videtur, non re ipsa probat, illa enim loca omnia paene contrarium potius probant, & loco alieno allegantur. Prius autem, quam me ad ipsam locorum illorum discussionem conuerto, necessum esse videtur, vt paucissimis tantum eloquar, quid saniores Philosophi per vocem *Φύσις* seu Naturae intellexerint, hoc enim facto, eo melius & aptius licebit

cebit transire ad ipsum Hippocratem eiusque de *Natura* loca vexata.

§. III.

Nimirum, quum Philosophorum cordatiores, prudentioresque ex variis rerum creatarum *Φαινόμενοις* intelligerent, omnia fieri lege quadam, & concinno quasi ordine, peculiarique dispositione, v. g. quod hoc tempore floridum rideret ver, illo, feruida torreret aestas, alio, humidus decideret autumnus, & alio glacialis faeviret hiems; item, quod veris tempore terra pictis superbiret floribus, aestatis, canae adsurgerent aristae, autumnus, dulces calcarentur vuae, & denique hiemis, arbores suis denuarentur comis & hortorum periret decus &c. haec inquam, & alia eiusmodi *Φαινόμενα* varia adduxerunt istos, vt crederent, certam esse dispositionem, certum ordinem, breuibus, ordinatum quempiam & concinnum huius vniuersi motum, cuius ministerio omnia tam apte, tam concinne fierent & tam eleganter, qua de repulcre differentem inueniet, qui cupit, Macrobius in S. S. l. c. 14. p. 53. Hunc igitur ordinem, hunc inquam motum appellabant *Φύσιν* s. *Naturam*, item & *αἰσχρονομίαν*, sensu adhuc sano & inno-

centi. Postea alii erant, qui, quum animaduenterent ordinem istum seu ordinatum istum motum, semper fere vnum eundemque esse in producendis & reducendis, vt ita loquar, variis rebus tum nascentibus, tum natis iam, loco Φύσιος vsurpabant vocem ἀνάγκην seu necessitatem duram, quaeque impediri non posset: hinc Cyclops Deum contemtor apud Euripidem:

Cyclope.

Ἡ γῆ δ' ἀνάγκη, κἂν θέλη, κἂν μὴ
θέλη,

τίκτεσσα ποίαν τὰ μὰ πιαίνει βοτά.

Nunc procedebant paullatim, & loco ἀνάγκης malebant scribere εἰμαρμένην, vnde decantatum illud fatum, quod erat ἀτρεπτον, καὶ ἐπικεκλωσμένον, καὶ ἀπαράιτητον, καὶ ἀνίκητον, vt loquitur

Diff. XXX.

Maximus Tyrius, cui addas Tacitum *A. IV. 26.* & Lysiam ἐν ἐπιταφίῳ τοῖς κορινθίων βοηθοῖς. Sed nec hoc suffecit omnibus. Nonnulli enim, dum sibi persuadere non possent, hunc motum, hanc Φύσιν, hanc ἀνάγκην talia exhibere posse Φαινόμενα, nisi esset sapientia quadam atque intelligentia haud vulgari imbuta, Φύσιν illam vocabant νοεράν vt Archytas cum aliis. Inde rursus alii Φύσεως & ἀνάγκης loco, nude ponebant νδν seu men-

mentem, vt Platonici, & *πρόνοιαν* vt Stoici, Plutarcho teste. Quibusdam nēque haec placebant, igitur alio nomine *Φύσις* ipsis appellabatur *ψυχὴ τῷ κόσμῳ*, & huic mundi animae aeternitatem, diuinitatem, exquisitissimam sapientiam & alia diuina attributa, inauspicato & temere adscribebant, vt videre est apud Ocellum Lucanum, item & Alcinoū: Quamvis negare non possim, me offendisse inter philosophos priscos, qui distinguerent inter *ψυχὴν τῷ κόσμῳ* & *τὴν ἑαυτῶν*, & illi quidem attribuerent prudentiam & quandam diuinitatis adfinitatem; huic autem absolutum in eam imperium, maiorem sapientiam, immortalitatem, breuibus, summam perfectionem, quod nec prorsus absolum, nec verum prorsus. Tandem vero eo usque procedebant, vt & ipsum de Coelo traherent Iouem, eumque sub nomine *Φύσιος* item *ψυχῆς τῷ κόσμῳ* intelligerent, vt non vno sane loco demonstrauit cum aliis Phurnutus. Et sic confundebant ex mala bonae vocis Naturae interpretatione (non ex nomine, quod contra ill. Boyleum noto atque Sturmium, pari enim ratione *Mechanismus Cosmicus*, quem pro Natura ponit laudatus

Boylius, idolum vocari potest, quod & ill. obseruauit Leibnizius) motum & motorem, dirigendum & dirigentem seu vt Scholaſtici loquuntur, Naturam naturatam & naturantem. Sic videor mihi concife quidem; at euidenter demonſtraſſe, qui ex *innocentiſſimo*, vt loquitur Cl. Goelikeus, *Naturae vocabulo*, idolum quodpiam fuerit confictum, vt Boyleus atque Sturmius loquuntur modo nominati. Nihilominus tamen aperte fateor, me nondum omnia τῆ φύσει seu κινήσει illi impoſita nomina recenſuiſſe, certe enim vox φύσεως ſi vlla vnquam alia, πολυσημωτάτη fuit veteribus praefertim Stoicis, ſi fides haberi debet Plutarcho. Quum igitur quidam ex recentioribus, vt ſunt Viri iam laudati, Boylius puta atque Sturmius, quibus vel Malebranchius & alii addendi, quos illuſtris Leibnizius allegavit, *Act. Erud. 1698. Menſ. Sept. p. 433.* perſpicerent, motum illum ſeu mechanismum iſtum coſmicum Naturam dictum, anſam, vt vidimus, aliquo modo dediffe ad idololatriam; non modo vocem Naturae; ſed & ipſam adeo Naturam, eiusque exiſtentiam e philoſophia eradicare fategerunt, ſtatuentes nempe, DEVM ſolum eſſe
huius

huius vniuersi sicut Creatorem, ita & motorem, immediate omnia moventem & disponentem, excluso prorsus motu illo vniuersae mundi machinae ab ipso impresso, & quousque ipsi libuerit summo opifici, duraturo, quem vti dixi, motum, aut, vt cum illustri Leibnizio distinctius loquar, *vim creatam adricem rebus insitam*, item *potentiam adricem, legem insitam*, vt & Cl. Schelhammerus, applaudente Leibnizio, loquitur, Prisci Φύσιος inscribebant nomine. Sed quibus fundamentis nitantur horum aduersariorum, & vt ita loquar, ἀντιφυσικῶν obiectiones & argumenta; egregie prae aliis demonstrauit Excellentissimus Schelhammerus tam in *Libro de Natura*, quam potissimum in *Naturae Vindicatae Vindicatione*, vbi contra Cl. Sturmium acerrimum Naturae impugnatores, docte, solide & mascule disputat, Naturaeque a tot hostibus circumventae & hinc propemodum in deditionem pronae, viriliter succurrit, eamque triumphantem libertati reddit. A cuius Cl. Viri partibus stetit quoque ill. Leibnizius in *Act. Erud. An. 1698. Mens. Sept. p. 427. sqq.* qui & simul *p. 439.* de hac doctrina, quam periculosa sit, ita scribit: *Tantum abest, vt*

DEI gloriam augeat, tollendo idolum naturae; vt potius rebus creatis in nudas diuinæ unius substantiæ modificationes euanescentibus, ex DEO factura cum Spinosa videatur ipsam rerum naturam &c. &c. Hanc controuersiam vel duobus indicasse sufficiat, aliqua vt addam, instituti mei ratio non permittit, hinc pergo.

§. IV.

Quemadmodum igitur prudentiores vt dixi, Philosophi, motum quemdam ordinatum huic *αυτομάτω* (sic mundum vocat ill. Boylius) a DEO impressum credebant & adstruebant; ita pari ratione nil erat, quo minus vel similem motum, similemque concinnum ordinem & mechanismum adscriberent microcosmo seu homini, eumque itidem appellarent *Φύσιν* seu Naturam, interdum etiam *ψυχὴν* seu animam, hac tamen cautione, vt eam distinguerent *ἀπὸ τῆς ὕλης*, i. e. ab immortali illa & rationali mente: Galenus tamen & alii *Φύσιν* distinguunt atque *ψυχὴν*, ita vt hoc maius, illud vero minus, & corruptioni obnoxium, iudicent: Alii vocarunt hanc corporis humani naturam *ἔξιν*, item *διάθεσιν*, item *τάξιν*, quod apud Plutarchum legitur *l. VIII. Sympos.* item *ἀεμονίαν*, item *ξύσασιν*, quod apud ipsum saepius

pius occurrit Hippocratem, &c. Et haec φύσις, haec inquam ψυχὴ, ἐξίς καὶ διάθεσις illos denotat motus, quos phyiologi dicunt animales, spontaneos, inuoluntarios, vtpote mentis imperio non subiacentes, vt loquitur Nemefius. Tales sunt sanguinis circumgyratio seu circulatio, sanguificatio, concoctio, chylicatio, secretio animalis, excretio, motus intestinorum peristalticus, arteriarum pulsus, & qui similes sint motus & actiones, quae fiunt inscia quasi mente, & illas vix obseruante, καὶ ἐκόντων καὶ ἀκόντων ἡμῶν, vt idem ait Nemefius. Hi motus quousque recte procedunt & iuste, eousque sanitate homo fruitur integra: simul ac autem ab externa quadam causa v. g. praua diaeta, vulnere, vel alia demum quaecunque etiam sit, διαθέσει illi, εὐεξίῃ ac ἀρμονίῃ contraria, seu vt cum Hippocrate loquar & Galeno, ἐχθρῇ καὶ πολεμίῃ, fuerint turbati & impediti, machina illa corporea extra suum quasi circum ac ordinem collocatur, hancque turbationem, & vt sic dicam, dislocationem vocamus morbum. Sic enim Plutarchus morbum exponit per τάραξιν τῆς φύσεως, quod ego redderem per τάραξιν τῆς ἐμφύτης τάξεως, Galenus

Vid. Gal.
len. Isagog.

De Nat.
Hum.

Symp. VIII.

per ἐνόχλησιν Φύσιος seu παρὰ Φύσιν,
 Diss. XVIII. Maximus Tyrius per τάρραξιν τῆς κα-
 τὰ Φύσιν ἑσίας, vt de aliis taceam.
 Saepius autem fit, vt hi turbati motus
 vel sua sponte in pristinam redeant
 ordinem, sicuti contingere haud ra-
 ro videmus in machinula chronome-
 trica, quae etiamsi mox tardius, mox
 autem citius temporis designarit cur-
 sum, paullo post rectum & adaequa-
 tum suum recuperat ordinem atque
 motum. Quod si hoc in machina fit
 corporea (fit autem haud raro) tunc
 apposite dicitur: *Naturam aegrum ad-
 iuuisse, bonam Naturam aegrum sanasse &c.
 &c.* Sin autem id minus fiat, & illi
 motus nimium fuerint turbati, & gra-
 viter laesi, tunc Medicus accerfitur,
 qui est motuum illorum turbatorum
 restaurator, & Φύσιος συνεργός ὑπηρέτης
 καὶ μιμητής, vt Hippocrates ait apud
 Galenum, *non Dominus*, vt quibusdam
 ex arrogantia dicere placuit, quos me-
 rito confutat ill. Bohnius. Hinc
 L.V, l.p. 78. egregia sunt Aëtii verba: συνεργεῖν δεῖ
 τῇ Φύσει πρὸς σωτηρίαν ἀγωνιζομένη πρὸς
 τὴν νόσον, ἕτως γὰρ ἡ Φύσις σύμμαχον
 λαβῶσα τὸν ἰατρὸν, τὰ δεόντα ποιῶντα.
 Si vero nec Medicus cum suis in-
 strumentis (vt medicamenta vocat
 Hippocrates) contra malum iam ad
 ἀκμὴν

αἰκμήν delatum, i. e. contra laesionem
 motuum enormem quasi, & plane
ἀνήκεστον nil valet, tunc demum to-
 ta corruit machina, tunc plane emo-
 riantur motus illi eneruati, & hanc
 motuum *στάσις* quietemque vocamus
mortem. Haec est *Φύσις* illa seu Na-
 tura in corpore animato mechanico,
 haec inquam, est *Φύσις* Medicorum
 cum priscorum, tum recentiorum
 plerorumque, vt ill. Bohni, Syden-
 hami, Bagliui, Conringi, Haruei,
 Hoffmanni, Bergeri, & aliorum in-
 numerorum. Sunt quidem, nos non
 fugit, quidam iique magni nominis
 nostra aetate Medici, qui, dum omnes
 in corpore organico motus animae
 rationali immediate adscribunt, per
Φύσιν seu Naturam ipsam animam
 rationalem intellectam volunt. Ve-
 rum huius loci non est, in hanc sen-
 tentiam inquirere, quam merito iam
 iam tot Viri celeberrimi strenue im-
 pugnarunt; id tantum dico, quod
 nunquam sint probaturi, Hippocra-
 tem etiam vocem *Φύσιος* pro anima
 rationali vsurpasse, vt nuperrime (ali-
 os studio taceo) fecit Cl. Nenterus & *In Fund.*
 Goelickeus. Huius Cl. Viri G. pu- *Med.*
 ta, sententiam libet hic examinare. *In Def.*
 Dicit nimirum Hippocratem vocem *Hipp.*
 Natu-

§. XVII. XX. Naturae vbiuis sumere pro Natura Humana, h. e. pro anima rationali; deinde adferit *θεσμὸν* illud, de quo infra multa dicentur, idem esse ac *φύσιν* & consequenter idem ac animam rationalem; Ex his autem suppositis sponte, credo, fuit, animam hominis rationalem & orbi condendo adfuisse & omnisciam esse & omnia intelligere & videre & audire omnia, quod tamen est falsissimum. Stat itaque sententia, quod & mox pluribus docebitur *φύσιν* Hippocratis esse ens mere mechanicum seu ipsum mechanis-
L. IX. de Pl. Hipp. & Plat. mum, & licet eam *ἀπαιδευτον, ἀδιδαντον, δικαίην* &c. vocet *καὶ διὰ παντὸς ὑμῶν*, vt cum Galeno loquar, illi tamen nec intellectum, nec sapientiam, nec iustitiam, vt aduersarii volunt, tribuit, vt suis locis videbimus. Haec necessario videbantur praemit- tendenda, licet plus iusto fere sim expatiatus: Nunc ipsa illa loca a Cl. Gundlingio in medium allata ordine recensebo, explicabo, vindicabo. Faxit NUMEN feliciter!

§. V.

Prior itaque locus, quem Cl. Gundlingius ad monstrandam Hippocratis *ἀθεότητα*, in medium producit, depromptus est ex Libro *περὶ τροφῆς* seu
de

de Alimento, libro certe salebroso & latebris pleno, vt loquar cum Prospero Martiano celebri alias Hippocratis scho- liafte. Sic autem ille est: Φύσις ἐξαρκέει πάντα πᾶσιν. Hic ante omnia moneo, Galeni lectionem paullo meliorem esse hacce vulgari, legit scilicet magnus ille Hippocratis admirator duobus in locis: Φύσις ἐξαρκέει πάντα πᾶσιν: nihil enim facilius hoc errore potuit committi, diuellendo scilicet πάντα a πᾶσιν: Et loco alio ita: ἐξαρκέειν εἰς ἅπαντα τοῖς ζώοις. Nunc & ipsius Galeni huius sententiae interpretationem audire, operae esse videtur. Ἡ, inquit τῆς φύσεως κίνησις γίνεται μὲν ἐν περιόδοις τεταγμέναις, κατὰ γε τὸν ἴδιον λόγον. Κωλύεται δὲ ἐνίοτε φυλάττειν τὰς περιόδους ὑπὸ τῶν ἔξωθεν εἰς αὐτὴν ἀμαρτανομένων, deinde statim subiungit: ἔτω γὰρ καὶ ὁ πᾶν θαυμαστὸς ἰπ ποκράτης ἔλεγε, Φύσις ἐξαρκέει πάντα πᾶσιν κ. λ. Loquitur nimirum Galenus in isto libro περὶ κρισίμων ἡμερῶν seu diebus criticis, & κρίσει illa in pathologia & semiotica fatis decantata: hinc ait, motionem φύσεως seu διαθέσεως illius in morbis turbatae quidem, sed molientis tamen egerere & propellere materiam, vt loquuntur οἱ ἰατρῶν παῖδες, peccantem, fieri

fieri quidem in certis quibusdam & definitis periodis seu circuitibus, secundum propriam rationem, h. e. secundum proprium & innatum quasi modum seu *instinctum quemdam concretum*, vt loquitur illustris Bohnius: impediri vero nonnunquam, quo minus iuste seruare possit istas circuitiones, ab externis caussis, quibus in illum Naturae conatum peccetur. Has caussas ibidem recenset, mutatis aliquanto verbis, ac extant apud ipsum Coum. Et hanc ipsam esse Hippocratis mentem, testatur ipse sequentibus loco *περὶ τροφῆς eodem: Αποκρίσεις κατὰ φύσιν, κοιλίης, ἔρων, ἰδρώτος, πτυάλῃ, μύξης κ. λ.* haec haec tenus. Transeo nunc ad locum alterum ex eiusdem libri §. VIII. *Φύσιες πάντων αἰδιδασκτοί.* Hic iterum prouoco ad Pergamenum optimum quippe vt plurimum atque doctissimum Hippocratis interpretem, qui praesentem aequae ac sequentem ex *Epidem. V lto.* si vnquam alium, fuse quidem, sed docte quoque explanauit, idque quatuor praecipue in libris, nempe libro *de Vsu partium Imo, de Locis adfectis V, Comment. in lib. Hipp. Epidem. VI. sect. V.* maxime, & tandem Tractatu, *an animal sit, quod vtero continetur?* quae loca,

ni fallor, etiam adnotauit solertissimus Foefius. Inter haec duo praecipue sunt, vbi, vt visum fuit Foefio, legisse videtur Galenus: *Φύσις ζώων ἀδίδακτοι*, quod bellum quidem & elegans, atque Hippocratis menti ex asse conuenit, dixerat enim ille paullo ante: *ζῶνται τὰ μέρη τῶν ζώων*; nunc breuitatis ergo, cui semper, vt notum, studet, omisisse videtur vocem *ζώων* & *πάντων* nude posuisse: sed pace tanti viri, non puto ita legisse Galenum, quam potius ita dilucidasse sensum Hippocratis subobscurum & semi quasi perfectum: ita enim & supra loco *παντάπασι* scripserat *ζώοις*. Verum haec leuiora: Nunc ad ipsam praesentis loci explicationem, ad quam priusquam me accingo, quaedam de brutorum ratione praefari lubet.

§. VI.

Olim iam agitata & ad nostra fere tempora usque pertracta fuit quaestio: Vtrum animalia sic dicta bruta ratione quadam essent imbuta nec ne? Priscorum plerique quotidianis experimentis & euidentissimis argumentis edocti, quin conuicti etiam, mitius se iudicasse autumabant, si dicerent, nec rationalia plane nec irrationalia

In S.S.I, 14.

tionalia prorsus esse animalia sic dicta bruta: Igitur pulcello illo sed nihil significante nomine vocabant rationis ἀναλογίαν, quasi dicas imitamentum quodpiam seu similitudinem rationis. Sed quum hoc nec frigidum sit nec calidum, nec tepidum quoque, & inanis, vt pure dicam, terminus, breuibus, quum ἀναλογίαν rectius dixeris ἀλογίαν: Alii, qui se prioribus ὀξυδερεσέρεος putabant, substituebant μνήμην seu memoriam, non autem eam, quam ratione esse dicebant mixtam; Sed tantum, quae aut *hebetudinem*, aut vt Pontanus mauult, *habitudinem quinque sensuum comitaretur*, quod apud Macrobiū legitur. Sed quam bene hi suam rem gesserint, videamus nunc breuiter. Dicunt nimirum memoriam potissimum esse qua bruta gaudeant. Sed quum memoria illa sit mentis facultas, qua obiectorum ideae seu εἶδωλα per sensoria animalia semel impressa & sic necessario concepta, menti nostrae viuide repraesentantur: sane non video, qua probabili minimum ratione concipi queat memoria sine ratione, sine iudicio. Est enim memoria maxima mentis facultas, quae tamen nequit consistere, nisi solida obiectorum prae-

praecefferit perceptio: sed nec perceptio sola sufficit, ni accesserit aliquid actiuum, quod tam multas variasque rerum ideas nobis quotidie per sensoria oblatas, discernit, separat, in ordinem redigit, quod vulgo dicunt iudicium. Est igitur, quis negare audeat? memoria sine iudicio turbata rerum repraesentatio, confusum chaos, & idem ac vir ἀνέφαλος. Haec quae dixi, ipsis posse obiici, iam videntur praeuidisse & hinc lepide vti putant; sed ridicule, vti ego puto, distinxere inter memoriam ratione mixtam, & memoriam quae comitatur quinque sensuum hebetudinem, seu vt e recentioribus Antonius le Grand voluit, inter *memoriam intellectuam & sensitiuam*. Sed quae illa memoria sit posterior, nescio, & illi ipsi, credo, nesciuerunt. Verum & hi prudentiores, certe prudentiores fuerunt magno illo alioquin Cartesio eiusque affectis, qui non rationem solum; verum & memoriam & vitam paene adeo ipsam brutis denegarunt animalibus, automata & quas nescio machinas ex illis effingentes & credentes, quin aperte scribentes, *omnes animalium actiones mechanice posse explicari, & motus, quos ab anima quadam in bestiis proficisci arbitra-*

Anton. le
Grand de
C. S. in

mur, Brut. §. 79.

mur, iis ad fines esse, qui in automatibus sola virtute manuculae & rotarum figura, producantur. Quod autem hoc commentum non absolum solum; sed & in creatorem sapientissimum fit blasphemum, breuiter iam demonstrabo, sed argumento, nisi fallor, perspicuo & ab ipso animalium organismo petito. Si, inquam, animalia bruta eadem habent organa, quorum ope & ministerio sentimus & cognoscimus; sequitur necessario, animalia aequae ac nos sentire atque cognoscere: Habent autem, quod nemo ibit inficias: si vero eorum in brutis nullus esset usus; sequeretur, ea casu tantum, & ita frustra fuisse condita. At DEVS nihil poterat frustra condere, est enim perfectissimus & sapientissimus; qui sapientissimus est, nihil facit, nec facere potest sine fine quodam atque respectu. Nunc vero alium in finem (quantum quidem scimus) addere non voluit organa animalibus summus ille opifex, quam ut obiecta sensibilia eorum ope conciperemus, concepta diiudicaremus & iudicaremus, & in memoria ceu scrinio adseruaremus, ut suo tempore depromi possent. Ergo qui animalibus sensoriiis exquisitissimis instructis sensum dene-

denegare vult & rationem, vel parum vel nihil sensus habere videtur. Nam & in animalibus quotidie animadvertimus dubitationem, deliberationem, gaudium, metum, tristitiam, iracundiam, cupiditatem vlciscendi iniurias, pudorem, & quae huius generis adfectiones aliae, quas & diuersa vocis modulatione & diuerso corporis motu gestuque indicare solent, qua de re legendus est in primis Lucetius. Haec an possint proficisci ex machina quadam, aut automato, non dubito solum, sed plane nego. Praeter haec videmus etiam animalia nonnunquam insanire, & damnum ita inferre mortalibus: Sed qui possint insanire, ni ante sana, vt sic dicam, mente fuerint praedita. Certe illud, quod non adest, nec aboleri, nedum corrumpi potest: ergo alia mentis adfuit dispositio, quam & interdum adhibitis remediis iterum sortiuntur. Tandem & possunt doceri, quod autem doceri potest, illud necessario capax esse debet doctrinae; quod vero doctrinae est capax, illud & rationem habet, vt taceam ipsius Saluatoris effatum, vbi serpentibus *Ὁρὸνσι* quandam tribuit, in quem sensum & Sophocles aues vocauit

De Nat. L. V.

Matt. X. 16. Electra

περὶ Ἀποχ.

Lib. VIII.
segm. 30.

Diff. XL.

Φρονιμωτάτης, ad quem locum ambo scholiastae merentur inspicere. Plura sane addi possent & plus quam plura: sed ne nimis extra oleas, ut aiunt, euager, hic abrumpo. Plura qui velit argumenta & probationes, is quae so euoluat *librum III. Porphyrii*, ubi egregie subtilis ille Philosophus de brutorum cognitione disputauit, & ex quo Porphyrius plurima sua hausit, Plutarchum Lib. *πότερα τῶν ζώων Φρονιμώτερα τὰ χερσαῖα ἢ τὰ ἐνυδρα*, item quae apud eundem *sordidus Gryllus* haud absurde grunnit, sed maxime prudenter aduersus Vlixem differit *περὶ τῶν ἀλόγων λόγων χρεῖσθαι*, ut taceam *librum περὶ Φιλοσοφίας*, aliosque tum priscos ut Theophrastum, qui teste Diogene Laërtio *librum scripsisse fertur περὶ ζώων Φρονήσεως*, &c. tum recentiores, ut Rorarium cum aliis, quos allegat Menagius ad Diog. Laërt. item Willisium, du Hamel, Schmidium, Lipsium, & qui nostra aetate celeberrimus est, Io. Clericum in *Not. ad Grot. de V. R. C. p. 13.* &c. Haec de ratione seu ut Max. Tyrius distinguit *de sensu & experientia brutorum*, quam, non nego, gradu longe eminentiore homini ceu nobiliori a summo Opifice fuisse concessam. Iam de

de brutorum Natura, de qua hic ab Hippocrate potissimum loqui iubeor.

§. VII.

Nimirum sicuti animalia bruta vi suae rationis certis tamen limitibus circumscriptae, aliquid comprehendere, & sic vel doceri possunt: ita & in se motus habent quosdam ἐμφύτους quasi, & sibi proprios, quos sponte i. e. ἀπαιδευτως, & sine peculiari instructione, benignissimi Creatoris beneficio, fuerunt indepta, eosque plerumque vocamus naturales. Sic apes, quibus alias *partem diuinæ mentis* assignauit Maro, cellulas suas mathematice struunt mathesin licet non edoctae; hirundines suos nidos, architectonicam non edoctae; araneae sua contexunt retia, nescientes Geometriam, vt alia taceam, quae quotidie occurrunt, καὶ ὅσαι, verba sunt Max. Tyrii, ἀλλῶν ζώων τέχναι πρὸς σωτηρίαν ἐκάστω σύμφυτοι γένει. No-
tatu & hoc perquam dignum, quod nullum fere sit animal, quod non natura h. e. αὐτοδιδάκτως quasi, sciat remedium aliquod ad morbos profligandos & pristinam sanitatem restituendam. Hinc bene Gryllus apud Plutarchum, quasi omnium animalium ageret causam: Τὴς μὲν Αἰγυπτ-

Diff. XXIIIX. it. XL.

Gryllo.

τίς πάντας ἰατροὺς ἀκόμειν εἶναι. Τῶν δὲ
 ζώων ἕκαστον ἔ μόνον πρὸς ἀλλήν θήσαντε
 καὶ Φυλακὴν κ. λ. lege, si libet, ibidem
 exempla animalium Medicorum, ad-
 deque eiusdem Auctoris librum *de ter-
 restrium & aquatiliū animalium solertia,*
 supra iam allegatum, item Aristote-
 lem in *Hist. Animalium*, & huius ex par-
 te concisorem Antigonum ἐν ἰσοριῶν
 παραδόξων συναγωγῇ, Aelianum, tum
 sparsim in *Hist. Var.* tum maxime in
Hist. Animal. Antolium περὶ τῶν κατὰ
 ἀντιπάθειαν καὶ συμπάθειαν & Demo-
 critum περὶ συμπαθειῶν καὶ ἀντιπαθεί-
 ῶν, utrosque cum doctissimis scholiis
 Cl. Rendtorfi editos & *Bibliothecae Gr.*
Fabr. insertos, Plinium in *Hist. Nat. L.*
VIII. c. 27. & alibi, ex recentioribus
 Langium *Epist. Med. II. 2.* Vossium de
Idololatr. L. III. c. 67. sqq. Camerarium
Sylog. memorabilium Med. Cent. I. Rol-
 fincium *de Plantis lib. I. c. 1.* aliosque
 plures, quos hic omnes recensere non
 vacat. Vnde non absolum, si puta-
 rint quidam, mortales priscos medici-
 nam ex animalibus brutis maximam
 partem didicisse, de quo nos alibi
 pluribus ex instituto. Posset hic ali-
 quis obiicere, quod animalia bruta,
 concessa ipsis aliqua ratione, se ipsa
 inuicem possint instruere & erudire.

Quod

Quod licet penitus non negem, sic enim v. g. auium pulli saepius imitantur earum auium cantum, quas quotidie audiunt; lupi vulpesque &c. catulos suos, si paullo adoleuerint, secum venatum abducunt, vt discant, quibus technis & fallaciis securas & libere palantes bestias capere possint, alia vt taceam: tamen animalia sic nuncupata bruta multa agere *αυτοφωῶς* & sine doctore & ductore, tum ex iis patere arbitror, quae supra dixi, tum ex eo, quod iam dicam. Galenus ad stabiliendum Hippocratis nostri dictum, quod *Φύσις ζῶων* sint *ἀδιδάκτοι*, singulare adducit exemplum, *libro*, quem supra citavi *περὶ τῶν πεπονητότων τόπων Vto*, quod breuibus enarrare haud pigebit. Scilicet, quum praegnantem multas dissecaret capras, inuenit aliquando hoedum perfectum, & iam excludendum: Hunc vinculis suis liberatum portabat in domum quamdam, vbi multas patellas, quarum haec vino, illa oleo, alia melle & alia lacte erant repletae, poni iusserat. Primo igitur hoedus ille pedibus incedebat, quasi audiuisset & didicisset, crura sibi in hunc finem fuisse concessa: porro, excutiebat humiditatem ex matrice sibi adhuc adhaerentem: tertio, vno pedum

scalpebat latus; & omnibus denique liquoribus in catillis contentis, olfactu ab ipso exploratis, solum absorbebat lac, quasi sciisset, hoc in sui nutritionem solum esse adaequatum & commodum: Taceo hic reliqua, quae ibi de selecta herbarum & fruticum ab eodem hoedo adhibito, item de ruminatione, quam in primis demiratur Galenus, leguntur, addens tantum gnomen, quam magnus ille Medicus fini huius narrationis addidit: παρορῶσι οἱ πολλοὶ τὰ τοιαῦτα τῆς φύσεως ἔργα, μόνα τὰ ξένα θεάματα θαυμάζοντες. *Multi, inquit, obiter tantum adspiciunt & negligunt tales naturae operationes, dum sola peregrina miracula admirantur. Sed haec de φύσει animalium ἀδιδάκτω.*

§. VIII.

Vnus adhuc restat locus ex Libro hoc περὶ τροφῆς a Cl. Gundlingio allegatus. Sed quum video, eum & illud in suas traxisse partes, quod φύσις Hippocrati dicta sit δικαίη & δικαιότατη, hanc leuem quoque machinam veluti in transitu, prius remouebo. Vellem autem Cl. Autorem Clericum non fuisse tam secure sequutum, qui mirum quantum ibi fallitur: sed vt ipsa prius Hippocratis inspexisset ipse loca; forte enim, si legisset, accuratius paullo

paullo iudicasset. Locus igitur princeps est in Libro *περὶ Ἀγμάτων*, seu *Fracturis*, sub initio. Dixerat ibi Hippocrates, oportere Medicum artis suae gnarum, & luxationum & fracturatum extensiones facere quam rectissimas: ratio mox in promptu est: *αὐτὴ γὰρ ἡ δικαιοτάτη Φύσις, ipsa enim iustissima natura*. Sciendum scilicet est, τὸ δίκαιον aliud esse sensu politico seu civili, aliud sensu mathematico aut, si mauis, grammatico. Priorem hic intellexisse Cl. Clericum, & ex eo Cl. Gundlingium, liquet ex ipsorum dictis: sed illum locum inuenire hic non posse, constat contra ex Hippocratis textu, quid enim quaeso luxationis extensioni cum iustitia? Reiecto igitur hoc sensu, ceu minus huc quadrante, alter admittendus est necessario. Secundum huncce autem δίκαιον idem est ac *εὐάρεστον, οἰκείον, ἀπλῆν adaptatum, accommodatum, quadrans, proportionatum*, seu vt Erotianus exponit, *συμφέρων, utile, conducens*. Et hoc sensu aliquoties nostro usurpatum est in hoc libro: Sic infra §. VII. Ed. Lind. *δικαίης χειρὶξιος aptae & adaequatae fracturarum translationis* meminit: sq. §. VIII. inquit; *δικαιοτάτη βραχίονος κατὰτασις, aptissima & optima brachii fracti extensio*; similiter & §.

XXXII. κατάτασιν δικαίην, *extensionem iustam*, h. e. *quam status praesens postulat*, nominavit: prae reliquis maxime huc spectat locus ex §. XL. ubi de femoris articulo scribit: δικαίην φύσιν μὲνον ἔχον καὶ ταύτην περιφερέα, hic firmul patet, quo sensu in praesenti de *Fracturis* libro sumta sit vox φύσιος. Haec enim verba non secus, quantum ego quidem intelligo, reddi possunt ac debent, quam: solus ille femoris articulus *proportionatam & aptam* habet *structuram* seu *qualitatem & dispositionem* eamque *circularem*, quo sensu φύσιος vocem alibi quoque saepius vsurpavit Hippocrates, vt *VI. Epidem. Sect. III. Lib. I. de Morbis §. IX.* item *Lib. de Glandulis &c. &c.* Hinc & Palladius locum supra allegatum scitissime ita exponit: φύσιν ἐνθαῦτα καλεῖ τὴν διάπλασιν, cui & omnino addas Galenum in *Commentario* ad illum locum. Plura iam mitto loca, quae cum in libro *περὶ ἀρθρῶν*, tum alibi occurrunt & apud Hippocratem, & apud Auctores alios. Sic enim etiam Latini vsurpant τὸ *iustum*, vt *iustum poema* apud Horatium, *iustissima tellus* apud Virgilium, *iusta statura* apud Suetonium Nerone, *iusta magnitudo* apud Terentium, *iustus exercitus*, *iusta acies*, *iustus annis* apud

*Comment.
in Fract.*

apud Liuium, *iustum volumen*, apud *Vid. Polluc.*
 Velleium, saepissime etiam *iusto* ita *Onomast.*
 vsus est senior Plinius, aliique, vt *Le-* *L. I. c. 12.*
 xica demonstrant, plures vsi sunt.
 Vult igitur Hippocrates in loco illo
 haec: Medicus debet luxationum
 & fracturarum extensiones, quan-
 tum potest, facere rectissimas, ipsa
 enim natura & partium corporis ra-
 tio, quae apta est, concinna & adae-
 quata, postulare videtur, vt id, quod
 laesum fuit, pristinam suam recupe-
 ret formam, & nihil relinquatur
 mancum & aptae partium symme-
 triae ac proportioni contrarium.
 Haec quae dixi, egregie confirmat
 Galenus: *Εἰπέρις ἄλλος ποτὲ δημιερ-* *L.II. de Vsu*
γὸς ἰσότητός τε καὶ ἀναλογίας πολλὴν *Part. adde*
ἐποιήσατο πρόνοιαν, καὶ ἢ τὰ σώματα *max. Lib.*
τῶν ζώων διαπλάττεσθαι φύσιν. ὅθεν ὁ *XVII.*
ἱπποκράτης ὀρθώτατα δικαίαν ὀνομάζει.
πῶς γὰρ ἔταῦτα δίκαια, καὶ τὸ μείζο-
νας εἶναι τῆς ἐπὶ τῷ βραχίονος μῦς τῶν
ἐπὶ τῷ πήχεως. κ. λ. adde hic potissi-
 mum eiusdem *de Placit. Hipp. & Plat.*
Lib. IX. p. 339. vbi ex hoc praecipue
 probat *τὴν τῆς φύσεως δικαιοσύνην*, seu
 concinnum & iustum naturae ordi-
 nem, quod musculorum vnicuique
 implexus sit nervus, arteria & vena,
 adducens simul Hippocratis dictum
 notatu

notatu dignum: δίκαιον ἔχουσι τὸ σῶμα οἱ ἄνθρωποι, quod & Erotianus in suo *Glossario* Hippocratico allegat, qui maxime hic videri debet. Ex haecenus ergo dictis patere confido, nec iustum esse aduersariorum iudicium de iusta Hippocratis Natura.

§. IX.

Ex hoc diuerticulo redeo nunc ad locum ordine tertium, ex superiore libro περὶ τροφῆς desumptum. Δύναμις, inquit ibi Couz, πάντα αὖξει καὶ τρέφει καὶ βλαστάνει. Sane hic locus, si vnquam alius, infeliciter huc tractus est a Cl. Gundlingio: id enim neutiquam probat, quod ex ipsius quidem mente debebat. Sed dum Cl. Dan. Clericum bona fide sequitur, bona quoque fide ab illo & cum illo fallitur. Naturae quasdam δύνάμεις seu facultates tribuisse Hippocratem, constat cum ex ipso, tum Galeno. At vero illae facultates eidem nihil sunt aliud, quam ipsa illa natura in variis actionibus animalibus peragendis occupata, vbi facultatem suam, respectu organorum, vario modo exercet, & exin varius resultat effectus euentusque. Sic, dum natura sanguificat, dicitur illa actio, seu ille motus δύνάμεις αἱματοποιητικῆ; dum va-
rios

rios fecernit humores, δύναμις ἀποκριτική; dum semen elaborat & ad definita ablegat vascula, δύναμις σπερματοποιητική, & quae huius generis δυνάμεων aliae sunt plures, quarum Catalogum exhibet Galenus libro potissimum περὶ Φυσικῶν δυνάμεων Imo, & nos supra §. IV. Haec in genere & breuiter tantum de Naturae facultatibus. Iam ad ipsum, qui sub manu est, Hippocratis locum. Agit ibi diuinus ille senex, vt quiuis videbit, qui non supine leget libellum istum, περὶ τροφῆς δυνάμεως, seu de potentia & virtute alimentorum, eorundemque ad corpus nutriendum respectu & relatione: hinc dicit: δύναμις πάντα αὐξεί, κ. λ. scilicet δύναμις τροφῆς, quinta illa alimentorum essentia & vis concentrata, ac, vt Zuingerus significanter hic ait, *substantifica*, vt supra aperte & fuse dixerat §. II. & ex sqq. infra verbis: ὑγρασίη τροφῆς ὄχημα (quem locum scite explicat Galenus) apertius liquet. Sic alibi ei, qui de diaeta humana scribere velit, iniungit γινώσκειν σίτων καὶ ποτῶν ἀπάντων, οἷσι διαιτώμεθα, δύναμιν, ἥντινα ἕκαστα ἔχει, κ. λ. noti quoque sunt, certe esse debent, tres Galeni περὶ τροφῶν δυνάμεως libri, vbi plura legi possunt quae huc faciunt:

L. IV. de
Vsu Part.

L. I. de
diaet.

faciant: Sic & Athenaeus *Deipnos. lib. II.* aliqua differuit de variis variorum alimentorum facultatibus, item Plutarchus passim, conferri etiam potest Simeonis Sethi liber de *Alimentorum facultatibus* cum Boydani scholiis editus, e recentioribus de eodem argumento scripsere Gadaldinus, Freitaggius, Pisanellus, Sebizius, Blossius, aliique plures. Et haec vera tandem est loci Hippocratici interpretatio. Iudicet iam aequus obsecro Lector, quam inique ille huc fuerit pertractus.

§. X.

Sed pergo, iamque ad eum locum deuenio, qui omnium est vexatissimus, & ex quo Cl. Gundlingius praecipue probare adnititur, Hippocratem fuisse Atheum, qui DEVM confuderit cum materia, ignisque elementum pro DEO habuerit. En verba ipsa ex libro *de Principiis*, aut, vt alii rectius forte, licet contradicat Cl. Clericus, & qui eum sequitur, Cl. Gundlingius, *de Carnibus* transcripta: Δοκέει μοι ὁ καλέομεν θερμόν, ἀθάνατόν τε εἶναι, καὶ νοέειν πάντα, καὶ ὄρεῖν, καὶ ἀκέειν, καὶ εἰδέναι πάντα, καὶ τὰ ὄντα, καὶ τὰ ἐσόμενα, seu vt alii, quod vero eodem recidit, τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. Quae igitur

tur horumce verborum vis sit, multum refert recte intelligatur & vberius explicetur. In antecessum moneo ante omnia, Θεσμὸν illud ne utquam confundendum esse cum Φύσει seu Natura Hippocratis, prout id inauspicato fecerunt Lipsius, & pudet dicere, ill. Leibnizius, item Dan. Clericus, Sturmius, Gassendus, Goelikeus & fidus Achates Gundlingius. Θεσμὸν enim & Θεῖον Hippocratis toto, vt aiunt, caelo differunt a Φύσει seu Natura. Per prius enim id est τὸ Θεσμὸν DEVM intelligit seu aliquid *non productum*, vt mox demonstrabo distinctius: per posterius autem puta Φύσιν aliquid a DEO isto productum, h. e. motum illum & mechanismum vniuersalem cum toti mundi machinae impressum, tum vnicuique, vt loquuntur, individuo inditum, seu rei vnus cuiusuis peculiarem rationem & constitutionem, prout illud haecenus aperte, credo, demonstraui, & apertius infra demonstrabo. Iam vero mihi operae esse videtur, vt prius, quam ipsum praesentem Hippocratis locum excutiam, aliqua de magni huius Viri philosophia & potissimum de principiis eius physicis edisseram. Fuerunt enim, & adhuc sunt, plu-

plurimi, qui crediderunt & credunt, ex hoc de *Σερμῶ*, loco, euidenter posse probari, Hippocratem idem omnium rerum primum credidisse principium, quod olim Heraclitus dicitur, nimirum ignem. Sed, quod tantorum virorum pace fiat, paullo aliter sentio. Heraclitus, prout ex Diog. Laërt. Plutarcho, Cicerone &c. notum est, ex igne omnia fieri, & in ignem omnia demum statuebat solui. Sed quid in praesenti *de Carnibus* loco Hippocrates? Docet quidem, qua ratione calidum multum, immo plurimum ad viscerum formationem contulerit; sed non excludit frigidum, glutinosum & similia, quae ibi leguntur, quod tamen non aeque fecit Heraclitus. Deinde probent, obsecro, Viri docti, unde ex hoc loco demonstrari queat, Hippocratem credidisse, omnia in ignem iri resolutum? Sed hic, dicat forte quis, alium Tibi obiicio locum ubi expresse dixit Hippocrates: *ξυνίσταται τὰ ζῶα, τὰ τε ἄλλα πάντα καὶ ὁ ἄνθρωπος ἀπὸ δυοῖν, πυρὸς λέγω καὶ ὕδατος*: Nae! inquam, elegans hic est locus, & addam ego elegantio rem: *πυρὶ καὶ ὕδατι πάντα συνίσταται καὶ ζῶα, καὶ φυτὰ, καὶ ὑπὸ τωτέων αὐξεται, καὶ ἐς ταῦτα διακρίνεται*. Haec loca aperte probant,

*Lib. I. de
Diaet.*

*Lib. II. de
Diaet.*

probant, sed quid? Hippocratem duo *Diff. de*
 rerum omnium statuisse principia, *Terrae mo-*
 ignem nimirum & aquam, quod & re- *tu Romano.*
 cte obseruauit ill. Bagliutus, & hinc iu-
 re dici non posse philosophum He-
 cliteum: eadem enim ratione & Thale-
 tis dici posset assecla, qui Diog. Laërt.
 Plutarcho, aliisque testibus, ex aqua
 omnia fieri contendebat, & in eandem
 diffluere omnia, item & ipsius Homeri
 sectator, qui Oceanum pro rerum
 principio vendidit, quemque in aliis
 sequutum fuisse Hippocratem, *alibi* a
 nobis fuit demonstratum. Ergo Hip-
 pocrates, prout ego quidem arbitror,
 nec Heraclitum omnino est sequutus,
 nec Thaletem, sed eadem potius fo-
 visse principia, quae Archelaus, vnus
 ex secta illa Ionica, qui δύο αἰτίας γε-
 νέσεως, duas generationis adferebat
 causas, θερμὸν puta καὶ ψυχρὸν, seu vt
 Meibomius, applaudente quoque
 Menagio, legebat ὑγρὸν, vt est apud
 Diog. Laërt. vel, vt apud Plutarchum
 legitur, αἶρος ἀπείρα πυκνότητα καὶ μά-
 νωσι, quorum hoc ignem, illud vero
 aquam esse contendebat. Huic vero
 Archelao addendus quoque est Hip-
 pion, qui pariter ignem & aquam re-
 rum omnium dixit esse principia, non
 terram, quod optime, vt solet demon-

strat Summe Rever. Fabricius, licet
contra stet Cl. Gundlingius. Cecinit
quoque in hunc sensum tenerorum
lufor amorum:

Met. I.

*Quippe ubi temperiem sumfere hu-
morque calorque,*

*Concipiunt: & ab his oriuntur cuncta
duobus.*

Immo dico, Hippocratem, hoc certe
respectu, Stoicum fuisse ante natos, vt
cum Lipsio loquar, Stoicos. Horum
enim plerique, non omnes, vt Philo
Iudaeus notat, putabant omnia ex
aqua & igne oriri, & in eandem tan-
dem resolui elementa. Luculenter
Seneca Stoicorum certe princeps;
*Aqua & ignis terrenis dominantur; ex his
ortus, & ex his interitus est.* An fimilius
verbis Hippocratis modo recitatis
potest esse aliquid, quam hoc ipsum?
Sed & alius insignis est locus apud
eundem Philosophum, vbi probat,
*omnia demum mortalia inundationibus
obduci & ignibus vastis torreri incendique:*
cui & alia possunt addi, quae Christia-
nus, vt sic dicam, Stoicus collegit in
Physiologia Stoica. Vt breuibus mul-
ta complectar, infedit haec non plane
reiicienda opinio multis veterum
mentibus. Iuncus apud Stobaeum:

Nat.

Quaest.

L. III. c. 28.

Consol. ad

Marc. c. 25.

L. II. diff.

21.

Φασι

Φασὶ τὸν κόσμον αὐτὸν λελυῖσθαι ποτε ἐκ *Serm. CXX.*
 μέγας, καὶ αὖθις λυθῆσεσθαι εἰς τε πῦρ
 καὶ ὕδωρ: *Druidae apud Strabonem Geogr. I. IV.*
inter alia putabant ἐπικρατήσῃν ποτε
καὶ πῦρ καὶ ὕδωρ: Mitto alia quae huc
adferri poterant; vide immortalis Gro-
tii incomparabilem de V. R. C. librum I.
§. XXII, & alibi. Sufficit mihi, de-
monstrasse, Hippocratem iure dici
haud posse philosophum Heracli-
teum.

§. XI.

Restat hic etiam explicare, quomo-
 do Cornelius Celsus Hippocratem
 nuncupare potuerit Democriti disci-
 pulum, quum tamen is Philosopho il-
 li *Φιλογέλωτι* haud, vt recte notant
 Viri docti, prius innotuerit, quam
 quum ad ipsum sanandum vocaretur
 ab infanientibus Abderitis. Sed sci-
 endum hic est, discipulum hoc loco
 non idem esse ac tironem, sed in gene-
 re illum denotare, qui aliquid discit,
 non quando id discit: dum enim di-
 scimus, sumus discipuli, etiamsi viri
 simus, quin adeo senes. Democri-
 tum igitur & physicis & anatomicis,
 quarum inprimis semper fuit studio-
 sissimus, obseruationibus, vastam
 Hippocratis subinde adauxisse scien-
 tiam, fidem nobis faciunt & constans

veterum traditio, & ea, quae etiam-
 num supersunt, litterarum monu-
 menta, quae vt omnia pro suppositi-
 tiis habeam, nec Clerici, multominus
 Heumanni, rationes vnquam sunt ef-
 fecturae. Supersunt autem adhuc &
 Epistolae & libellus de *Hominis Natura*
 ad Hippocratem scriptus (licet & hunc
 libellum reiecerit Menagius) vbi in
 responsione sua ita eum adhortatur
 Hippocrates: ὀρθῶς ποιήσεις ἐπισέλ-
 λων ἡμῖν πυκνότερον, καὶ μεταδίδῃς τῶν
 ὑπὸ σέο γραφομένων συνταγμάτων, si-
 mul ipsi mittens de Ellebori vsu dis-
 sertationem. Praeterea & eo respe-
 ctu, Democriti discipulus non incom-
 mode dici poterit Hippocrates, quod
 partem philosophiae nobilissimam,
 Ethica puta & moralia, vt loquuntur,
 ex ipso hauserit: In his enim se erudi-
 tum & instructum fuisse ab Democri-
 to, palam confitetur in grandi illa, at
 eleganti ad *Damagetum epistola*, vbi in-
 ter alia plura, quae ibi legi possunt,
 haec de se scribit vir veri amantissi-
 mus: καὶ ἡμᾶς ἐσωφρόνιζε ὁ Δημόκριτος,
 & sub epistolae finem, ita se ab eun-
 tem Democritum fuisse adloquutum,
 adscribit: πολλῶν με τῆς σοφίης θαυ-
 μασμῶν πεπλήρωκας, & interiectis pau-
 cis: Θεραπείην δὲ λαβὼν τῆς ἐμῆς διανοίας,
 παρὰ

παρὰ σεῦ ἀπαλλάσσομαι &c. Haec, data occasione, de hac controuersia dicenda duxi. Celso nunc plenius sua, credo, constabit fides, nec habebunt docti viri amplius, quod sibi crucem figant, dum enim edoctus est, vt dixi, Hippocrates, iure vocari potuit discipulus. Sed haec de Hippocratis philosophia & principiis physicis sufficiant.

§. XII.

His necessario praemittendis praemissis, iam reuertamur ad nostrum *θερμὸν*, quod hic potissimum est dilucidandum. Nimirum immane quantum errant, quicumque cum Cl. Gundlingio asserunt, Hippocratem ignis elementum pro Deo habuisse, ac tritam philosophorum quorundam sententiam amplexatum, credidisse, Calidum istud seu Deum illum diffusum esse per omnia creata, & ideo quiddam esse materiale. Velim enim vel vnicum ex Hippocrate mihi locum adferant, ex quo placitum illud aliqua saltem ratione possit confirmari & probari. Ea enim loca, quae Cl. Gundlingius allegat, omnia eodem modo ac eadem facilitate corruent, ac ea superius quae excussimus. Nam ὡς ἀπλῶς εἰπεῖν, legi hucusque in tota il-

Ia de Hippocrate ἀθεῶ, Exercitatione, ne vnum quidem, quem ἀναίτως non attulisset Vir Cl. & perperam explicuisset, vt infra monstrabo accuratius. Vt igitur eloquar, quid mihi, omnibus rationibus & rerum momentis bene expensis, circa praesentem videatur locum, dico, aliud esse DEVM subtilissimo igni asimilare, & talem ceu habitaculum ipsius (ἀνθερωποπαθεῶς loquendo) sibi concipere; & aliud ex aduerso esse, Deo ignem tamquam substantiam atque corpus ipsius, adscribere. Prius adseruit Hippocrates, vt iam adparebit, & recte, vt ne quidem culpandus, multo minus pro atheo sit habendus; alterum ipsi in mentem venisse, nullo profecto pacto ex diuini Viri scriptis probari vquam potest. Sed vt ordine procedam; nunc primo probabo, Hippocratis θεῆμὸν non esse materiale; deinde vero non esse per corpora mortalia & caduca diffusum: tandem & demonstrabo, hanc diuini senis doctrinam nec sacris litteris, nec veterum Christianorum dogmatibus, nec sobriae denique philosophiae repugnare. Ad prius ergo quod spectat; proprietates, quas suo θεῆμῳ adscribit Hippocrates, sunt ἀθάνατον εἶναι, καὶ νοεῖν πάντα

πάντα, καὶ ὄρεῖν, καὶ αἰδέειν, καὶ εἰδέναι πάν-
 τα καὶ τὰ ὄντα καὶ τὰ ἐσόμενα, h. e. im-
 mortalitas, omnipraesentia, & omni-
 scientia, vt Theologi loquuntur. Ex
 quibus proprietatibus satis tuto colli-
 gere licet, omnem hic excludi mate-
 riam, vbi enim materia, ibi nulla pot-
 est esse immortalitas, quippe quae
 semper praecipit in interitum.
 Egregie hinc apud Stobaeum Iuncus: *Serm. CXX.*

πάντα ὅσα γίνεται καθ' ἡντιῶν αἰτίαν, p. 610.

ἀνάγκη λυθῆναι. Τὸ γὰρ αἰδίον (no-
 tentur iam sequutura) καὶ ἀφθαρτον,
 μόνῳ τῷ Θεῷ προσήκει. τὸ δὲ ὑπὸ τεχ-
 νίτῃ συστάν ἐκ τινος ὕλης, προσδέχεται
 φθορὰν. Deinde, quod ad omni-
 praesentiam, quae in verbis πάντα
 νοέειν, καὶ ὄρεῖν καὶ αἰδέειν, laudatur; cer-
 te illa etiam materiae non competit.

Nōs enim (vt ipsorum veterum, vt *Lib. III. de*
 Plutarchi, Porphyrii, Maximi Tyrii, *Diaet. XV.*
 Galeni, immo nostri adeo Hippocra-
 tis, &c. erat sententia) μόνος ὄρεῖ καὶ νῆς

αἰδέει, τὰ δὲ ἄλλα κωφὰ καὶ τυφλὰ.

Sed mens, quae quasi est DEI ἀποσ-
 πασμάτιον, vt Epicetetus loquitur, &
decerpta ex mente diuina, ut ait Tullius, *Hymn. III,*

& hinc λιβάς ἔρανία Synesio quoque *713. adde*
 dicta, dici neutiquam potest materia, *Lips. Phys.*

licet hodiernorum quidam sint, qui *St. III, 8.*

contrarium statuere malunt: certe eo

respectu, quo mentem iudicare, cogitare, ratiocinari &c. dicimus, illam inepte dixeris materiam, quamcumque etiam Tibi finxeris subtilissimam & vt sic loquar, abstractissimam. Superest adhuc omniscientia, quae dictis iam ex causis, ab omni penitus abhorret materia: nam ea soli soli spiritui propria est, & quidem longe eminentiori, quam nostri sunt spiritus seu animae. Etenim nos ob nostram imbecillitatem iuxta & imperfectionem, *ἐκ μέρους* tantum, vt S. ait Apostolus, scimus & cognoscimus; Qui igitur omnia, quaecumque ea sint, tum ea, quae actu existunt, tum, quod maius, quae futura, scit ac cognoscit; ille profecto omnium est perfectissimus, & hinc sapientissimus. Quis vero potiori quaeso iure ita vocari possit, quam ipse DEVS magnus ille omnis sapientiae oceanus? An igitur Hippocrates non postremi ordinis philosophus, & ab superstitiosi & humi serpentis vulgi sorte alienissimus, igni, h. e. materiae, tam mirabiles & stupendas vires adscripserit, viris cordatioribus & in Hippocratis lectione exercitioribus diiudicandum relinquo; ego interim illud constantissime nego, praesertim quum *ὁμοληθῶν* habeo

habeo summe reuerendum Budde-
um, quidquid etiam contradicat, aut
contradicere velit Cl. Gundlingius.

De Ath. e. r.
s. XX. p.
84. Not.

§. XIII.

Sed ad alterum iam progredior,
probans, Hippocratem non statuisse,
quod suum θερμὸν seu quod idem,
θεῖον, per corpora creata sit diffusum, &
iisdem veluti innexum. Quid? in-
terpellabit hic Cl. G. nonne ipsa
Hippocratis verba demonstrant aliud?
nonne per totum fere de principiis li-
brum vires huius Calidi in artibus
& visceribus animati corporis com-
pingendis cantantur? euolue bone,
verba: τῆς θερμότητος, (sc. θερμὸν) τὸ πλεῖστον,
ὅτε ἐταράχθη πάντα, ἐξεχώρησεν εἰς τὴν
ἀνωτάτω περιφορὴν, & verte: Huius
igitur plurima pars, quum turbata es-
sent omnia, in supernam circumferen-
tiam secescit: pars nempe, vt vides,
huius calidi plurima, ob laeuitatem,
in supremum secescit locum, non vero
omnis. At haec ego satis placide au-
dio, & si licet, rideo quoque. Sic
enim elumbes & corruptae versiones,
qualis est haec Cornarii, iis impo-
nunt, qui contextum ipsum inspicere
vel non volunt, vel non valent. Vox
enim πλεῖστον, vt hic legitur, non est
plurima pars, sed idem ac maxime,

seu μάλινα, *inprimis, ante omnia, ut re-*
cte ita explicat Guil. Budaeus Vir
graece olim doctissimus. Hinc ille
locus ita potius erat vertendus: Hoc igitur
calidum maxime, quum omnia con-
funderentur, in supremam secessit circumfe-
rentiam. Nempe hoc ipso indicatur
 calidi illius excellentia & praerogati-
 va, quippe quod non passum se com-
 misceri & confundi cum crassis istis
 & casis substantiis, & ob suam subti-
 lissimam essentiam, sublimiora sele-
 git loca in regiam veluti sedem. Quod
 autem illud attinet calidum, de quo
 multum in terra fuit conclusum &c.
 id inquam plane differt a θερμῷ illo
 ἀθανάτω, ortum suum potius dedu-
 cens ex prima illa corporum nondum
 in ordinem redactorum κυκλώσει seu
 agitatione, volutationeque. Sic enim
 manifeste Hippocrates: κυκλωμένων
 δὲ τετέων, ὅτε ἐν ἐταράχθῃ, ἐπεκλείσθῃ
 τῆ θερμῆ πύλῃ &c. Tandem & circa
 τὸ ἐξεχώρησεν, quod de calido illo di-
 citur, moneri posset, illud non tam il-
 lius, ut sic loquar, immaterialitatem &
 praeexistentiam probare; quam po-
 tius indicare, θερμὸν illud cum reliquis
 corporibus primis primum fuisse con-
 fusum, & deinceps maximam partem
 ab iisdem separatum sublimia petiisse
 loca.

loca. Verum respondeo, actionem illam seu ἐκχώρησιν, nihil facere ad denegandam calido illi praeexistentiam: simili enim fere modo & spiritus ille DEI, seu אלהים נוח motasse se dicitur in superficie aquarum, vt ex I. Genes. discimus: & tamen nemo exin colligere potest vel debet, spiritum illum DEI tum temporis, quum super aquis ferretur, i. e. dum ageret aliquid, fuisse creatum & non potius iam iam praeextitisse.

§. XIV.

Tandem & tertium est explicandum, hanc nempe Hippocratis hypothesein nec diuinis oraculis, nec veteri christianae ecclesiae, nec philosophiae denique sobriae ac castae repugnare. Ad primum ergo quod spectat; notum est proh dolor! fatis, mentem nostram post semper deflendum lapsum ita fuisse obnuptam & tam densis tenebris circumfusam, vt ea nihil fere concipere possit, quam quae in sensus incurrun, h. e. materialia: quo potissimum spectat illud *Mercurii ad Tatium*: ὀφθαλμοῖς μὲν τὰ σώματα θεατὰ. γλώττη δὲ τὰ ὄρατὰ λεκτὰ, τὸ δὲ ἀσώματον καὶ ἀφανὲς καὶ ἀχημάτι-
σον, καὶ μήτε ἐξ ὕλης ὑποκείμενον, ὑπὸ τῶν ἡμετέρων αἰσθήσεων καταληφθῆναι εἰ δυνατόν.

Matth.
VIII, 11.

Strom. L. V.

δύναται. Placuit ergo diuinae misericordiae, τὰ νοητὰ, i. e. quae non cadunt in sensum, & ita ab omni remota sunt materia, nobis in verbo suo, per fidos suos amanuenses, proponere sub iconismo τῶν αἰσθητῶν, vel sub imagine rerum sensualium. Sic e. g. immensum illud vitae aeternae gaudium depingitur specie splendidi epuli: ipsa illa beata sedes, quae piorum animas post fata recipit, sub effigie fortunati alicuius nemoris & horti; item sub icone oppidi ex mero auro & pretiosissimis gemmis constructi &c. quin & ipsi summo & perfectissimo Numini ἀνθρωποπαθῶς membra humana, affectus humani & similia in sensum incurrentia, adscribuntur, quamuis nihil plane habeat ἀνθρωπόμερον, vt alibi testatur Scriptura sacra, & ipsi quoque fasfi sunt pagani, teste Diog. Laërt. Zenone & Philone Iudaeo passim. Sic &, quod praesertim huc pertinet, idem illud αὔλον Ens repraesentauit se sub specie ignis & flammae, & permisit indulgentissime se ita describi ab ἀγιογράφοις, πῦρ γὰρ καὶ φῶς, inquit Clemens Alex. ἀλληγορεῖται ὁ Θεὸς καὶ ὁ λόγος αὐτῶ πρὸς τῆς γραφῆς: Non quod eius essentia, absit, ignea sit, sed quod
ignis

ignis diuinae proprietatis, Dionysii Areopagitae verba sunt, inter haec, quae sub oculos cadunt, plurimas imagines habeat, quod infra paullo accuratius docebitur. Sic Moyfi comparuit in ardente rubo; Israelitis incertas & salebrosas semitas sub columna ignea signauit: Saepe in Psalmis, Vatum libris, & Ioannea Apocalypsi, specie ignea, apparet, eiusque sedes fulget ibidem & fulgurat; in Actibus Apost. sanctissimus ille Spiritus linguarum ignearum ad instar, in Apostolos effusus fuit. Φῶς, inquit de Deo B. Paullus, οἰκῶν ἀπρόσιτον, ὃν εἶδεν ἑδεῖς ἀνθρώπων, ἑδὲ ἰδεῖν δύναται. Sic optimus noster Saluator saepius in Nouo Foedere, imprimis apud Ioannem, vocatur Φῶς: Nota quoque ex eodem sacro libro factis est phrasis: δόξα κυρίῃ Θεῷ &c. cui respondet Hebraeum כבוד quod splendorem denotat illustrissimum. Alia praetereo. Sat est, me probasse, DEVM supremum in sacris litteris igni & lumini comparari, eiusdemque sedem &, vt sic loquar, regiam lumine purissimo fulgere. Nunc videamus, quid de suo calido dixerit Hippocrates. Δοκέει μοι ὁ καλέομεν θερμόν, ἀθάνατον εἶναι &c. Videtur mihi, inquit, id, quod calidum vocamus, seu quod sub nomine

*1. Tim.
VI, 16.*

Specie

specie calidi invocamus (καλεῖν enim & *vo-*
care est & *inuocare*, vt ex Aeschyli *Pro-*
meth. Vinct. Sophoclis *Trachin.* & aliun-
 de fatis constat) *esse immortale*. Sane ex
 his patet luculentissime, Hippocratem
 Deo nequaquam naturam igneam ad-
 scripsisse, non enim dixit: ὁ ἐστὶ θερμὸν,
 sed ὁ καλούμεν, quod ita, ad sensuum
 hebetudini aliquanto succurrendum,
 vocamus & depingimus. Haec qui
 cum iis conferre velit, quae superius
 de calidi Hippocratici immaterialitate
 diximus, videbit clare, diuinum se-
 nem DEVM non nisi χηματικῶς aut
 figurate, ignem siue calidum appel-
 lasse.

§. XV.

Sed progredior, & minori nunc
 probo negotio, Hippocratis hypothe-
 sin hac in parte, nec ecclesiae christi-
 anae contrariari. Quid enim Scri-
 pturae S. illi verae ecclesiae normae,
 non contrariatur; illud nec ecclesiae
 potest: Sed prius est, vt demonstra-
 vi haec tenus, verum; sequitur hinc &
 alterum esse. Nolo igitur hic, etsi
 possem, multa patrum graecorum
 aequae ac latinorum loca coaceruare,
 in quibus DEVS *ignis, lux, calor* &c.
 vocatur & cum iisdem fusa & elegan-
 ter

ter comparatur. Vt nihil de poetis christianis dicam, apud quos hac phrasi nihil legitur frequentius: sic, vt vnum tantum, quod iam mihi suggerit memoria, adferam testimonium, Gregorius ille Nazianzenus sub finem *threni sui* suorum laborum & aerumnarum ergo, ad Christum directi, DEVM vocat *ἀσράπτοντα τρισσοῖς ἐν Φαέεσσιν*, in triplicibus luminibus fulgurantem. Et quis nescit, & nostros Theologos in hunc usq. diem, illa saepius delectari similitudine, & hymnos decantari in nostra ecclesia, qui DEVM ceu *blande fouentem ignem*, ceu *purissimum lumen* &c. celebrant. Potius ergo ad Tertium me conuerto, quo mihi probandum est, hancce Hippocratis thesin nec philosophiae sobriae contradicere. Nimirum, quum acutiores accuratioresque perspicerent philosophi, τὸ Θεῖον αὐτὸ ἀόρατον ὀφθαλμοῖς, ἀρρήτον φωνῇ, ἀναφῆς σαρκὶ, ἀπαθῆς ἀκοῇ, vt loquitur Maximus Tyrius, *Diss. I. § XXXVIII.* nec dici posse γένος, nec εἶδος, nec διαφορὰν, vt inquit Alcinous, & hinc esse *de Doct. Pl. c. X.* δυσνοούμενον ζήτημα, vt Secundus de DEO ait, καὶ ἀκατανόμαστον, vt Plato dicit apud Appuleium &c. sedulo eo *Doct. Plat.* allaborarunt, vt sub schemate quodam atque effigie ineffabilem illum spiritum

tum adumbrarent, quo vel aliquem
 saltim conceptum sibi de ipso forma-
 re possent. Huc spectant in primis il-
 la supra iam citati Tyrii Maximi: ἔ-
 χοντες, inquit ille, αὐτῶ (Θεῶ) λαβεῖν τὴν
 εἴδειαν, ἐπεξειδόμεθα φωναῖς, καὶ ὀνόμασι,
 καὶ ζώοις, καὶ τύποις, χρυσοῦ καὶ ἐλέφαν-
 τος καὶ ἀργύρου, καὶ φοτοῖς καὶ ποταμοῖς
 καὶ κορυφαῖς, καὶ νάμασιν, ἐπιθυμῶντες
 αὐτῶ τῆς νοήσεως. ὑπὸ δὲ ἀδυνείας, τὰ παρ᾽
 ἡμῶν κατὰ τῆ ἐκείνων φύσει ἐπονομάζον-
 τες, post quibusdam interiectis, ἔνε-
 μεσῶ, pergit, τῆς διαφωνίας. Ἰσῶσαν
 μόνον, ἐράτῶσαν μόνον, μνημονευέτωσαν
 μόνον; & istud Secundi, ubi DEVM vo-
 cat πολύμορφον εἶκασμα καὶ πολυχά-
 ρακτον μόρφωμα. Schema autem ad
 DEI naturam & proprietates deline-
 andas, nullum ipsis commodius vi-
 debatur atque aptius, quam *ignis* atque
luminis. Quum enim elementum il-
 lud omnium sit ἰχυρότατον, *fortissimum*,
 vt alicubi ait Hippocrates, καὶ δυνατὸν
 πάντα διὰ παντὸς κινῆσαι, ubi idem di-
 xit, omniaque disrumpat atque per-
 vadat, item nutriat augeatque, & si
 quae hoc genus ignis aliae sint pro-
 prietates: putarunt, vt dixi, diuinas
 proprietates sub *ignis* *schemate* ali-
 quantulum posse illustrari. Egregia
 proinde Theodoti est meditatio super
 iis

iis verbis in V. T. aliquoties occur-
rentibus, vbi DEVS $\Gamma\bar{\iota}\bar{\eta}\delta\bar{\nu}\bar{\nu}$ $\Psi\bar{\nu}$ seu
 $\pi\bar{\nu}\rho$ καταναλίσκον, aut, quod celeberrimo Hardtio magis placebit, ἕχαρα
ἀναλίσκῃσα, vocatur, quam hic tran-
scribere haud pigebit: Ὄταν, inquit, ὁ
ΘΕΟΣ λέγεται $\pi\bar{\nu}\rho$ καταναλίσκον, ἔκα-
κίας, ἀλλὰ δυνάμεως ὄνομα καὶ σύμβολον
ἐκλεκτέον. ὡς γὰρ τὸ $\pi\bar{\nu}\rho$ ἰχυρότατον
τῶν στοιχείων καὶ πάντων κρατῶν, ἔτω καὶ
ὁ ΘΕΟΣ παντοδύναμος καὶ παντοκράτωρ,
ὁ δυνάμενος κρατῆσαι κτίσαι, ποιῆσαι, τρέ-
φειν, αὐξεν, σώζειν, σώματος καὶ ψυχῆς
ἐξουσίαν ἔχων, &c. plura ibi, quae huc
spectant, legi possunt, auctor enim do-
cte in illa allegoria pergit, quibus addi
etiam potest locus Dionysiii Areopa-
gitae supra mihi allegatus. Non so-
lum autem igni DEVM veteres com-
parabant; sed & lumini & splendori,
vnde inter alia encomia, $\Phi\omega\varsigma$ apud
Secundum aliosque vocatur. Quum
veto illustrius nullum, nullumque
maius Sole, viderent lumen, & confi-
derarent, quam late & ample *magnus*
ille, vt Ouidius canit, *mundi oculus* suos
spargeret radios, item quam mobile &
quam $\omega\kappa\upsilon\delta\rho\mu\omicron\nu$ esset corpus, & quam
 $\theta\alpha\upsilon\mu\alpha\sigma\omicron\nu$ σκεῦος, vt loquitur Siracides;
porro, vti blando suo calore omnia
foueret, nutriret, augetetque &c. non

Som. Scip.
I, 2.

*Lib. ad
Princip.
indoct.*

dubitarunt magnum creatorem, cum magno hoc, vt ita dicam, creato comparare. Hinc Plato, teste Macrobio, *solum DEO simillimum de visilibus solem repperit, & per eius similitudinem viam sermoni suo attollendi se* (vt recte legit Gronouius) *ad non comprehendenda patefecit*, ad quem locum egregium inspicienda omnino Pontani est obseruatio: Plutarchus quoque solem vocat *περικαλλές θεοῦ εἶδωλον*, *pulcerrimam DEI speciem seu effigiem*, apud quem & alia huius commatis legere est, vt & apud Max. Tyr. aliosque plures.

§. XVI.

Haecenus boni illi prisci & cum illis optimus noster Hippocrates recte fuerunt philosophati. Sed sicuti ex hypothesi sinistre intellecta tristissima saepius mala, bella, iurgia scimus fuisse oborta: ita & hic contigit. Quum enim essent, qui illam inter DEVM ignem lumenque comparationem legerent, non autem intelligerent, DEVM comparari tantum cum igne atque sole &c. non vero esse ignem atque solem: euenit, vt DEO igneum adscriberetur corpus, sol pro DEO haberetur, & materiale sic cum immateriali confunderetur. Hinc est
illud

illud ἀθάνατον πῦρ seu immortalis ignis, vt apud Plutarchum, Dionysium Halicarnasseum aliosque audit, quem Vestales Virgines sancte custodiebant, de quo potissimum Lipsius consulendus est. Hinc & Persae *Lib. de Ve. sta.* ignem & solem, vt ex Herodoto, Diosdoro, Strabone, Malala &c. notum, DEI loco colebant, quin & omnes tandem in vniuersa fere Mythologia & Theologia paganica dii ad vnum solem referebantur, quod luculenter demonstrarunt cum Macrobius, tum illustre illud orbis eruditi decus Gisbertus Cuperus; & hoc est, quod *te.* DEVS Secundo πολυώνυμος δύναμις vocetur. Multis autem probare velle exemplis & testimoniis, soli diuina attributa fuisse adscripta, ipsumque deuotissime & superstitionissime cultum; idem foret, ac probare velle, quod sol splendeat, neutrum enim probatione indiget. Audiamus tamen precantem apud Homerum Atridem:

Ἡελίος θ' ὅς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' *II. III.*
ἐπακθεῖς.

& Orpheum apud Malalim: *Chronogr.*
Ὡ ἀνα κ. λ.

Πανδερκὲς, θνητοῖσι καὶ ἀθάνατοισιν
ἀνάσσω.

E 2 Quale

Quale quid & apud Euripidem ceterosque poëtas frequenter reperire est. Sed pessime omnium Stoici, Plutarcho, Diogene Laërt. Stobaeo aliisque testibus, DEVM & Naturam (haec enim ambo ipsis, vt notum, synonyma sunt sunt, non aequè Hippocrati, quod Cl. Gundl. adserere voluit) definiere per πῦρ τεχνικόν, ὁδῶ βαδίζον εἰς γένεσιν. Et licet Lipsius, magnus ille Stoicorum patronus, fatis argute τὸ πῦρ τεχνικόν explicuerit; dubito tamen, an fatis vere. Stoicos enim effigiem & similitudinem DEI cum ipsa illius essentia confudisse fatis superque puto esse euictum; hoc autem Hippocratem non fecisse superius iam est demonstratum, & infra iterum demonstrabitur.

§. XVII.

Sed vnum adhuc restat, quod & in suas partes a Cl. Gundl. pertractum video: scilicet Hippocratis Θερόν & veterum Αἰθέρα synonyma esse. Sic enim Hippocr. καὶ ὀνομήναι μοι αὐτὸ δοκέεσι οἱ παλαιοὶ αἰθέρα. Quum vero notum sit, Stoicos praecipue, vt ex Plut. Diog. Laërt. Cicerone, Lipsio, supra iam citatis, apparet, aetherem pro DEO habuisse, hincque putasse eum

*κεχωρημέναι διὰ τῶν ἐν αἰέρι, καὶ διὰ τῶν ζώων
 ἀπάντων καὶ φυτῶν &c. vt Laërtius ait* *Zenone.*
 Diogenes, & sic DEVM mundo quasi
 intexuisse, & materiale cum immate-
 riali confudisse. Sequi ergo exinde
 videri poterat, etiam Hippocratem
 hoc dogma amplexum, credidisse,
 DEVM ad instar subtilissimi ignis,
 per cuncta creata esse diffusum. Ve-
 rum liceat hic mihi illis, quae superius
 de Hippocratis Θεσμῶ a me fuerunt di-
 sputata, addere haec sequentia. Aether
ἀπὸ τῆς αἰθέρας potius, vt recte pu-
 tant Phurnutus, Anaxagoras, Scholia-
 ftes Aristophanis aliique, quam, quod *ad Nubes.*
Cratyl.
 Plato, Aristoteles & Appuleius senti-
 unt, *Libb. de*
Mundo.
ἀπὸ τῆς αἰθέρας denominatus, pars
 caeli credebatur suprema, purissima,
 & vt poëta ait, *liquidissima* item splendi-
 dissima laevissimaq; Diodorus Siculus *Bibl. L. 1.*
περὶ κοσμογονίας loquens: τὸ πυρῶδες αἰ-
 ερος πρὸς τὰς μετεωροτάτας τύπας συνδρα-
 μῆν, ἀνωφερῆς ἕσης τῆς τοιαύτης φύσεως
διὰ τὴν κεφότητα. Diogenes Laërti- *Zenone.*
 us: ἀνωτάτω εἶναι τὸ πῦρ ὃ δὴ (vt recte
 legitur apud Suidam, obseruante quo-
 que Menagio non ὄν, vt vulgo iam in
 codd. impresfis, spectat enim ad τὸ
 πῦρ, quod, vt notum, tertii est generis)
αἰθέρα καλεῖσθαι. Macrobius: *Quid-* *Som. Sc. I,*
quid ex omni materia, de qua facta sunt o- *22. add.*
mnia, *Appul. de*
D. P.

omnia, purissimum & liquidissimum fuit, id tenuit summitatem, & aether vocatus est.

Met. I. it.
XV.

Accinat Ovidius :

Ignea conuexi vis & sine pondere caeli

*Emicuit, summaque locum sibi legit in
arce.*

Taceo plura loca, quae nunc apud Ciceronem *Libro* potissimum de *N. D. secundo*, nunc apud Apuleium *libris de Philosophia Nat. de Deo Socratis*, & maxime de *Mundo*, ubi saepissime aethere explicat per *liquidissimum ignis ardentem*, nunc apud alios, inuenias. Hunc igitur Aethera, hoc liquidissimum inquam purissimum & splendidissimum supremumque caeli spatium prisci illi & cordati mortales in regiam quasi sedem ac palatium, diuino & purissimo Numini assignabant. Agamemnona ita precatum legimus apud Homerum :

Il. 13. 8c.

Ζεῦ κύδιε, μέγιστε, κελαινεφές, αἰθέ-
ρι ναίων,

E. κ. η.

Hesiodus: Θῆκε δέ μιν (νύκτα) κρονίδης ὑψίζυγος, αἰθέρι ναίων, apud quem, ut & Homerum dii frequentissime dicuntur ὑπέρτατα δώματα ναίων, item ὀλύμπια δώματα ἔχειν. In Olympo apud Homerum :

μάλ'

- - - - - μάλ' αἴθερ *Odysf. 2.*
 πέπταται ἀννέφελος, λευκή δ' ἐπιδέδρο-
 μεν αἴγλη

Τῷ ἐνὶ τέρπονται μάκαρες θεοὶ ἡματα
 πάντα.

Apud Aeschylum *Eumenidibus*, & Aristophanem *Thesmophoriazusais*, ita iuratur:

Ὄμνυμι δ' ἱερὸν αἰθέρ' οἰκησιν Διὸς,

Tale & apud Sophoclem legitur, & *Ranis.*

alibi Aristophanes aetherem saepius vocat Διὸς δωματίον, *Iouis habitaculum.*

Zeno apud Diog. Laërt. Iouem Ἀθηναῖαν dici putabat, κατὰ τὴν εἰς αἰθέρα

διάτασιν τῆς ἡγεμονικῆς αὐτῆς, (quamvis recte rideat miram hanc seu miseram

potius etymologiam doctissimus Menagius, adeo, vt mendum subesse, at-

que pro Ἀθηναῖαν, Αἰθέρα potius legendum esse ego suspicer; de qua Synec-

doche mox plura), & Appuleius deos *in sublimi aetheris vertice locatos* voluit, *De Deo*

eorumque *domum caelum* vocavit pluribus in locis: vt mittam, quae Aristoteles

habet circa finem *libri de Mundo*, *Phys. St. II, 12.*

quaeque apud Lipsium in hanc rem collecta, leguntur. Sic & Virgilius

de campis Elysiis, vbi habitant diui, & depuratae, vt sic loquar, heroum

animae:

Act. VI.

*Largior hic campos aether & lumine
vestit*

Purpureo.

*Truculentus Pluto Proserpinam vi
de R. P. L. II. abreptam, ita solatur, apud Clau-
dianum:*

Lumenque videbis

*Purius, Elysiumque magis mirabere
solem.*

*Talia multa in Platonis Phaedone, & in
Consolatione a Plutarcho ad Apollonium
scripta, alibique reperire licet.*

§. XVIII.

Verum putandum non est, tantae temeritatis fuisse veteres, ut crediderint, DEVM, quem ἄδὲν ἐκ Θεού γεν, ut dixit Epicharmus, καὶ πάντα δύνασθαι καὶ ἴσασθαι πάντα, ut apud Homerum aliquoties, καὶ πάντα ἰδεῖν καὶ πάντα εἰκέν, ut idem ait, & Euripides quoque cum Sophocle, vere assererent, loco aliquo posse contineri, & ut loquitur Appuleius, comprehendi, spatioque quodam circumscribi. Euripidis dicitur istud:

Apologia.

*Ποῖος δ' ἂν οἶκος τεκτόνων πλασθεῖς ὑπο,
δέμας τὸ θεῖον περιβάλοι τοίχων
πτυχαῖς.*

Heraclitus in quadam ad Hermodorum quemdam *epistola*: ὁ θεός ἄδὲ ἔχει ἕνα
περί-

περίβολον, ἀλλ' ὅλος ὁ κόσμος αὐτῶναός
 ἐστὶ ζώοις καὶ φυτοῖς καὶ ἀστροῖς πεποι-
 κιλμένος; plura, quae huc spectant *P. II, Ex-*
 collegit Dougtaeus in *Analectis sacris.* *curf. XLIX.*

Quum igitur DEVM in caelo feu
 aethere habitare dicerent, idem eos
 intellexisse credibile est, quod su-
 pra iam ratione ignis & luminis edis-
 feruimus, nempe *χηματικῶς* & compa-
 ratiue ita fuisse loquutos. Simili enim
 ratione (h. e. ἀνθρώποπαθῶς vt aiunt)
 in Voluminibus sanctis, caelum fae-
 pisfime DEI sedes vocatur & taberna-
 culum, item, quod apud Iesaiam, vt &
 Hieropsalten &c. maxime inuenitur,
 DEI ΝῶΝ h. e. folium; quin & a Chri-
 sto ipso apud Matthaeum, & alibi in
 Nouo Foedere, ΘΕΟΥ Θεόνος, in quem
 etiam sensum, vt id obiter hic inferam,
 Sophocli *Antigone*, caelum audit Θεό-
 νος Διός & Theocrito *Thalyfia*, Θεόνος
 Ζανός, quod Dorice, vt notum, idem ac
 Διός, & tandem Colutho Thebano
 ἔδρη ὑψιμέδοντος Διός. *DEI* autem soli-
 um dicitur, quod in eo opificio pulcerrimis
 astris picturato, eiusque perpetuo & aequa-
 bili motu, diuina maiestas eximie eluceat,
 quemadmodum Regum gloria tunc maxime
 conspicua est, quum folio suo insident, verba
 sunt maximi Grotii ad Matth. C. V.
 qui & alibi ad Matth. XXIII, 22. *p. m. 388.*

egregium sane locum ex *Scriptore responsionum ad Graecos* in Iustini operibus, adfert, qui hanc Grotii interpretationem approbat & confirmat. Atque ex hoc demum factum est, ut aether, vel caelum ἀντονομασικῶς, aut, ut Grotius mauult, συνεκδοχικῶς, pro DEO ipso sumeretur, regia veluti pro rege, & continens (si ita de eo, qui nullibi continetur, loqui liceat,) pro contento. Huc illud Euripidis:

Ὅρας τὸν ὑψῆ τόνδ' ἀπειρον αἰθέρα,
καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκά-
λαις,

Τῆτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἠγῆ Θεόν.

Lib. II. de
N. D.

Quod Cicero vertit, est *licentius*, ut ait Barnesius, adde & *somnolentius*. Tale & illud est Ennii bis a Tullio, semel ab Appuleio allegatum:

Adspice hoc sublime candens, quem inuocant omnes Iouem.

Plura loca, ubi Iuppiter nonnunquam pro caelo, & hoc pro Ioue ponitur, invenire est apud Virgilium *libro potissimum Georgicōn secundo*; apud Lucretium saepissime, apud Hesiodum, adnotante Graevio, atque Ovidium aliquoties, apud poetas ceteros passim: conferatur etiam omnino Macrobius, item & Heraclides, seu ille, qui auctor est τῶν ἀλληγοριῶν ὀμηρικῶν. Sed

S. S. I, 14.
& Sat. I.
18.

nec

nec sacri Scriptores illam *συνεχδοχὴν* penitus respuunt: Notum enim, vocem Hebraeam **יְהוָה** seu vt apud Danielelem legitur **יְהוֹוָה** figurate summi pro DEO ipso; quale quid vel in Nouo Testamento vsu venit, quum ab ipso Salvatore *θεανὸς* opponitur τοῖς ἀνθρώποις: plura alia taceo, ne in Theologorum castra, quum Medicus sim, irrupisse videar: Legi tamen de hac re possunt Grotius ad dictum Lucae caput XV. Heinsius cum in *Adnotationibus*, tum *Aristarcho*, & Lomeirus de *Lustrationibus Veterum gentilium*, vt Buxtorfium, Schindlerum, Gusseltium aliosque glossariographos fileam, qui omnes notarunt, hanc Synecdochen Rabbiuis & Thalmudistis familiarissimam esse. Hoc igitur quoque sensu, quin sapienter veteres τὸ θεῖον Hippocratis, h. e. summum DEVM sub ignis effigie adumbratum, aethera vocauerint, nihil profecto, cur dubitem, caussae video. Vnde autem illud sit ortum, quod Veterum quidam, praecipue Stoici, putarent, aethera, siue caelum reuera esse DEVM, atque expansum quid per omnia creata, nunc, quam breuissimis poterō, eloquar.

Cap. IV, 23.

Matth. XXI, 25.
adde Luc. XV, 18.

Cap. X.

§. XIX.

*Cyropaed.
L. 1. & in
Sympos.*

Nimirum, quum paganorum pluri-
mi DEVM & omnipraesentem crede-
rent & omniscium, vt superius ex Ho-
mero multisque aliis probaui, & iam
ex duobus plane eximiis Xenephontis
locis probare possem, nisi res nota sa-
tis esset & decantata, ipsisque hinc,
dum *χῆμα* illud, de quo haecenus,
haud recte caperent, mirum, quin ri-
diculum quoque videretur, omnisci-
entem & omnipraesentem caelo quasi
includere, & loco quodam circumse-
pire: euenit, vt aetherem seu coelum
figurate licet, vt supra docui, pro Deo
sumtum, pro DEO ipso haberent, pu-
tantes eius omniscientiam & omni-
praesentiam eo concipi posse melius,
si adfererent, eum sub specie subtilissi-
mi ignis vel & aëris, per cuncta esse fu-
sum, ac expansum, & sic totum com-
plere mundum. Locus certe lucu-
lensus apud Philemonem Comicum
extat, vbi aër in hunc modum loquens
introducitur, quem, & si paullo est dif-
fusus, adscribam tamen:

ὄν ἔδ' εἰς λέληθεν ἔδεεν ποιῶν,
οὐδ' ἀνποιήσων, ἔδ' πεποιηκώς πάλα,
οὔτε θεός, ἔτ' ἀνθρώπος, ἔτος εἰμ' ἐγώ,
ἀήρ, ὄν ἂν τις ὀνομάσειε καὶ δια.
Ἐγὼ δ', ὅ θεῶν ἔσιν ἔργον, εἰμὶ πανταχῶς,
Ἐνταῦθα

Ἐνταῦθ' ἐν Ἀθήναις, ἐν Πάτραις, ἐν Σι-
κελία,

Ἐν ταῖς πόλεσι πάσαισιν, ἐν ταῖς οἰκίαις
πάσαις. Ἐν ὑμῖν πᾶσιν ἔκ' ἔστιν τόπος,
οὐ μή' ἔσιν ἀῆρ. ὁ δὲ παρῶν ἀπανταχῶ
πάντ' ἐξ ἀνάγκης οἶδε, πανταχῶ παρῶν,

Notum quoque illud Arati:

- - μεσαί δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί,
Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραί. μεσῆ δὲ
θάλασσα,
καὶ λιμένες πάντῃ δὲ Διὸς κεχρημένα
πάντες.

Vnde natum istud Maronis:

Iouis omnia plena: idem ille alibi: Ecl. III.

*Deum namque ire per omnis
Terrasque, traclusque maris, caelumque
profundum. Georg. IV.*

Et *Aeneidos VI.*

*Principio caelum ac terras, camposque
liquentis &c.*

*Spiritus intus alit, totamque infusa per
artus*

*Mens agitat molem, & magno se corpore
miscet.*

Quae verba passim explicat Macrobi-
us. Dixerat & Aeschylus, teste Cle-
mente Alexandrino:

Ζεύς ἐστιν αἰθέρης, Ζεὺς δὲ γῆς, Ζεὺς δ' ἄρανός, *Stromat. V.*
Ζεὺς τοι πάντα.

Et ante ipsum Orpheus versibus, quos *Libb. de
& Mundo.*

& Aristoteles citat & Appuleius, quorumque initium est:

*Ζεὺς πρῶτον γίνετο, Ζεὺς ὕδατος ἀρχι-
κέρωνος.*

Accedat & illud sancti, ut ait poëta, Catonis ad Labienum, apud Lucanum:

*Estne DEI sedes nisi terra, & pontus, &
aër,*

Et caelum & virtus? Superos quid quaerimus ultra?

Iuppiter est quodcumque vides, quocumque moueris.

*Lib. de
Natura.*

Quae verba, ut id obiter moneam, paullo aliter allegat ill. Boylius. Manilius quoque cecinit:

*Quum spiritus vnus
Per cunctas habitet partes, atque irriget
orbem*

*Omnia peruolitans, corpusque animale
figuret.*

Addendus hic quoque est Seneca *Epist. XLI.* & alibi, & potissimum, quae Seneca recentior habet in *Stoicorum physiologia* saepius iam dilaudata.

§. XX.

Et sic subtilia illa dicam? an vilia hoc passu ingenia, DEI & omniscientiam & omnipraesentiam optime posse concipi existimabant. Verum, quam absorum sit atque insulsum, de DEO, Ente,

Ente, ut sic loquar, summo ac perfectissimo, tam rudes tamque materiales sibi conceptus fingere, facili quilibet perspiciet negotio, qui modo cognoverit, quod, quum DEVS sit perfectissimus, summarum ipsius virtutum nec modus, nec vis ab imperfectissimo homine percipi ac concipi queat. Hoc *Exod.* inter alia palam fit in Moyfis historia, *XXXIII.* cui DEI *splendorem* perspiciere cupienti, respondebatur, fieri haud posse, vt homo, quatenus mortalis, & corpore indutus, eximiam diuini Numinis excellentiam oculis lustrare possit, quin extemplo intereat. Nam nec totus mundus, immo si plures etiam cum priscis finxeris, ad tantum tantum Dominum sufficit capiendum. Quid enim humilis casa vileque tugurium in magni Regis Principisque oculis, idem illud totus ille & circumfusus orbis coram DEO Regum Rege, Dominorum Domino; quum terra, teste ipsa Scriptura S. fit tantum pedum ipsius scabellum. Egregie proinde, vt plerumque solet Iudaeus Philo: *de Leg. al-*
 ΘΕΟῦ ἔδὲ ὁ σύμπας κόσμος ἄξιον ἀνείη *legor.*
 χωρίον καὶ ἐνδιαίτημα. ἐπὶ αὐτὸς ἑαυτῶ
 τόπος, καὶ αὐτὸς ἑαυτῶ πλήρης καὶ ἰκα-
 νὸς ὁ ΘΕΟῦ. κ. λ. Idem alibi: ὑπὸ τῶ *de Confus.*
 ΘΕΟῦ πεπλήρωται τὰ πάντα, περιέχον- *Linguar.*
 τος,

τος, ἃ περιεχομένα, ὧπανταχῶτε καὶ ἕδα-
 μῶ συμβέβηκεν εἶναι μόνω. ἕδαμῶ μὲν,
 ὅτι καὶ χώραν καὶ τόπον αὐτὸς τοῖς σώ-
 μασι συγγεγέννηκε. τὸ δὲ πεποιηκὸς ἐν
 ἕδενι τῶν γεγονότων θεμῖς εἰπεῖν περιέ-
 χεσθαι. Πανταχῶ δὲ, ὅτι τὰς δυνάμεις
 ἑαυτῶ διὰ γῆς, καὶ ὕδατος, αἶρος τε καὶ
 ἕρανῶ τείνας, μέρος ἕδεν ἔρημον ἀπολέ-
 λοιπε τῶ κόσμῳ, & quae ibi sequuntur
 Comment. ad Matth. V. p. m. 61. meretur Grotius. Sufficit igitur, nos
 ex reuelatione scire, DEVM ubique
 esse praesentem, scireque omnia, vi
 immensae suae τελειότητος, & consum-
 matae virtutis: nil refert, cognoscere
 velle, quo modo id fiat; illud enim su-
 pra captum nostrum: mirari istud con-
 venit, non rimari: id enim nimis est
 curiosi, nasutuli, demum & impii,
 quod vel ipsi caeci pagani agnoue-
 runt. Menander:

Τίς ἐστὶν ὁ ΘΕΟΣ, ἃ θελῆς σὺ μανθά-
 νειν,
 Ἀσεβεῖς, τὸν μὴ θελοντα, μανθάνειν
 θέλων.

Et Philemon:

ΘΕΟΝ νόμιζε καὶ σέβῃ, ζῆται δὲ μὴ,
 πλείον γὰρ ἕδεν ἄλλο, ἢ ζητεῖν ἔχεις.
 Ὡς ὄντα τῶτον καὶ παρόντ' αἰεὶ σέβῃ.

Hinc satis patere arbitror, quam stoli-
 da (ignoscite Lectores, volui Stoica)
 eorum

eorum sit sententia, qui & hoc die, Deum per *spatium* definire non erubescunt, loco illo *Act. XVII, 28.* quamvis inuito & reclamante, in probationem pertracto. DEI enim essentia ab homine, quatenus tali, describi nequit, nisi admista quapiam materia. DEVM autem sibi fingere materialem, impium est, ut dixi, & blasphemum: hinc hic tacere praestat, quam loqui; si autem de DEO loqui velimus, dicamus: scimus quod DEVS sit, nescimus, quid sit, nisi perfectissimum quid. Sed hic dictis meis in Hippocratis locum *περὶ Θεοῦ*, finem facio: & licet multa, immo forsan nimia, dixisse videar, censuram tamen adeo duram meruisse vix crediderim. Erat enim hic locus prae reliquis sedulo excutiendus, quoniam magnum ex illo de Hippocratis Atheismo seu Deo Hippocratis materiali, peti omnino poterat argumentum.

§. XXI.

Sed ad reliqua iam progredior, & locum imprimis, qui nunc a Cl. Gundlingio allegatur, *quintum* breuiter & perspicue explanare satago, quod & in reliquis sequuturis me facturum semel & simul promitto. Is autem ex libri *Epidemiōn Vlti Sectione secundum Lind-*

num, *Via* defumtus ita habet: *Ανευρίσκει ἢ Φύσις αὐτὴ ἐωυτῇ τὰς ἐφόδους, ἐκ ἐκ διανοίης &c.* Putat hic Cl. Gundl. haec verba (fatis corrupte, vt id obiter moneam, ab ipso exscripta) loco de *Θερμῶ* superiori non contrariari: vnde & statim illi illa adnectit: sed ego, pace eius, plane aliud: toto inquam caelo contrariantur, idem enim hic fere est, quod supra in *secundo loco*, vbi Hippocrates dixerat *Φύσις πάντων ἐστὶ ἀδιδάκτους*, satis a me, vt puto, dilucidato. Nam probare vult hoc loco diuinus Senex, Naturam, h. e. vt saepius iam dixi, motus illos naturales & ordinatos, seu mechanismum concreatum, nec ratione impulsam, nec consilio vsam, ea, pro sapientissima summi conditoris sententia & voluntate, facere ac absolueri, quae machinae corporeae animatae conducant, qualia v. g. sunt *τὸ σκαρδαμύσσειν, καὶ ἢ ἡ γλῶσσα ὑπεργέει*, (quae immediate apud Hippocratem sequuntur d. l. sed omisa sunt a Cl. Gundlingio, quia scilicet in suam rem non videbantur) ad quae verba Galenus scitissime: *τὸ σκαρδαμύσσειν (ὀνομάζεται δ' ἕτως τὸ κλείσαντα τὰ βλέφαρα, διὰ ταχέων αὐθις ἀνοίξαι) παραχρῆμα τοῖς γενηθεῖσιν εὐθέως ὑπάρχει ζώοις ἀδιδάκτως; & post paullo*
ad

Comment.
ad VI. Epid.
Hipp.

ad verba: γλῶσσα ὑπεργέει: προελο-
 μένων ἡμῶν ἦντινῶν φθέγγασθαι φωνήν, ἢ
 γλῶττα πρὸς τὴν διάρθρωσιν αὐτῆς ἐτοι-
 μως ὑπηρετεῖ &c. & quae ibi sequun-
 tur lectu sane dignissima. Nunc, qui
 haec, ex Cl. aduersarii hypothefi, cum
 superiore loco de θερμῶ seu calido,
 concordent, dispicere lubet. Dixerat
 supra, vt modo vidimus, Hippocrates,
 τὸ θερμὸν sapientissimum esse, ~~hic~~
 omnia, omnia intelligere, singula vi-
 dere atque audire: hic autem e contra-
 rio de φύσει (quae, vt decies monui, Cl.
 Gundl. idem ac θερμὸν seu θεῖον Hip-
 pocratis, sed pessime,) dicit, eam ne
 διάνοιαν quidem habere. Nonne autem
 hae apertae contradictiones? nonne
 toto haec bina loca differunt? Sed vi-
 deamus iam, qua ratione nihilominus
 haec verba Cl. Gundl. explicuerit, aut,
 vt dicam quod rei est, inuita licet & re-
 pugnantia in suas partes traxerit. Dicit
 scilicet Hippocratem hisce id innuisse,
*quod Natura nulla indigeat deliberatione,
 quia nempe omnia iam sciat perspectaque
 habeat.* Verum doleo, Virum Clmum
 se hic iterum a falsa versione falli pas-
 sum fuisse. Pessime enim τὸ ἐκ διανοίας,
 versum est *ex praemeditato*, quam διάνοια,
 prout ex Lexicis antiquis, & ipso
 quoque Hippocrate, qui aliquoties

hac voce in hunc sensum vsus est, satis est notum, idem potius valet ac *ratio*, *intellectus*, item & *cogitatio*. Quilibet igitur ex haecenus dictis facillime, opinor, videt, Hippocratem ceu aliquid mere mechanicum, licet hic contra sentiat Cl. Schelhammerus, naturam considerasse, ipsique omniscientiam neutiquam attribuisse. Vbi enim ne *διάνοια* quidem; certe ibi multo minus omniscientia. Atque sic sponte fluit, naturam omnia, quaecumque demum in nostro corpore agat, facere *αὐτομάτως καὶ ἀδιδάκτως*, prout nempe iussa est, seu potius impulsa a sapientissimo creatore, vt supra iam monitum fuit, & ita *δι' ἀνάγκην θείν*, vt alibi ipse loquutus est Hippocrates. Hoc etiam sequentia Hippocratis verba ex eodem *lib. Epidem. Vltio* desumpta & a Cl. Gundlingio (satis vitiose) allegata probant: *Ἀπαιδευτος ἡ φύσις ἔσσα καὶ εἰ μαθεῖσα τὰ δεόντα ποίει*, h. e. natura licet edocta non sit, nec discendi facultate instructa, facit nihilominus ea, quae & utilia sunt (nostro corpori) & necessaria, quasi ea didicisset. Significat enim τὸ δεόν, vnde τὰ δεόντα, & *ἔυμφρον* seu utile, & *ἀναγκαῖον*, seu necessarium: prius testantur Vlpianus celebris suavidici Demosthenis

*Lib. de
Diaet.*

Athenis Scholiaſtes, & Galenus *ad I. Hippocratis Aphoriſmum*, item & alibi: vtrumque autem Suidas & alia Lexica antiqua. Sunt autem illa *δέοντα* feu *χρήσιμα*, ut Galenus dicto iam loco ait, quae natura *ἀπαιδεύτως* efficit, quae apud Hippocratem ſequuntur, iterum a Cl. Gundl. male omiſſa: *δάκρυα, ρινῶν ὑγρότης, πνεύματος ἔισοδος κ, λ.* de quibus iam nihil dico: euolvat, cui volupe, amplum illum, ſed doctum & elegantem Galeni *in b. l. Commentarium*, addatque, ſi fuerit viſum, quae nos ſupra ad priora Hippocratis loca. Volui hic tantum demonſtrare, quod praefens locus cum ſuperiori de *Θερμῶ* feu calido, nil quidquam habeat commercii, & quod Hippocrates ſuae naturae neutiſquam rationem adſcripſerit & iudicium: ſed non volui ſolum; verum re ipſa demonſtraui, & amplius poſſem, ſi duo illa illuſtriſſima loca allegarem, quorum alter eſt *Lib. I. de Diaeta*, alter *lib. de Flatibus*, quae vt euoluantur, ſerio moneo: iam fatiſſit ea modo allegaſſe. Vnum adhuc praetermittere nolo. Legit ſcilicet Galenus modo citata Hippocratis verba in hunc modum: *Ευπαιδευτος ἢ Φύσις ἔῃσα κ. λ.* Hanc lectionem reiicit Cl. Gundlingius; nec ego eam ſine qua-

*Lib. IX. de
Pl. Hipp.
& Plat.*

dam distinctione admiserim. Potest tamen omnino admitti, si nempe haec verba ita explicentur; quod natura utilia & necessaria agere non amplius discat, sed iam antiquitus sit *εὐπαιδευτος*, bene instructa, bene impulsa ac disposita ad illa agendum, a summo scilicet sui creatore, qui solus potest *εὐπαιδέειν*, & quae in rem sunt nostram, ordinare. Nec contrariantur sibi inuicem, vt Cl. Schelhammerus putabat, τὸ εὐπαιδευτον εἶναι, & qui locus supra adfuit, *ἐκ ἐκ διανοίας πράττειν*. Potest enim v. g. artifex rem suam saepe ita agere, vt ob exquisitum in arte sua habitum, longumque usum, eam, aliud quasi agendo, absoluat, & scopo suo minime excidat. Nec mihi magni Gassendi hic probatur opinio, dum non solum hanc Galeni lectionem approbat & commendat; sed & putat, τὸ ἀδιδαντος καὶ ἀπαιδευτος, idem esse ac αὐτοδιδαντος, αὐτομαθῆς, sensum ita supplendo, φύσει esse ἀδιδαντον, eius scilicet respectu, quod nemo ipsam instruxerit. Ortum enim erronea haec explicatio ex eo trahit, quod Gassendus, vt supra iam innui, putet, φύσει Hippocrati idem esse ac DEVM & creatorem, quod tamen falsum est, vt ad rauim fere vsque haecenus dixi. Lipsius,

Comment.
in Vt Epic.
Diog. Laërt.

psius, vt & eius hic mentio fiat, legit: *Physiol.*
 ἡ Φύσις ἐκ τῆς σάξ μαθῆσα, vnde, aut *Stoic. I.*
 quare, definire non audeo, mihi certe *diff. 5.*
 haec lectio non placet, nec alii forte
 me doctiori placebit.

§. XXII.

Ad locum iam accedo ex Hippocra-
 tis παραγγελίας seu Praeceptionibus, ex-
 cerptum, perdifficilem, vt multis fuit
 visum, at facilem, vt mox patebit; le-
 gitur autem ita: ὑποληπτέον ἔν, τὴν
 φύσιν ὑπὸ τῶν πολλῶν καὶ παντοίων
 πρηγματῶν κινήθηναί τε καὶ διδαχθῆναι
 βίης ὑπέσσης. An hicce Praeceptionum
 liber genuinus sit, vt credidit Clar.
 Schelhammerus, Hippocratis foetus,
 ego iam non disquiro; rationes, cur
 dubito, adscribam alibi, in praesenti id
 tantum dico, eum tam foede esse de-
 prauatum ac corruptum, vt nec Hippo-
 lytus nec Hector dilacerari magis at-
 que defoedari potuerint. Esto interea,
 illum Hippocratis esse; nos potius de
 abdito horum verborum sensu iam su-
 mus solliciti. Si illius loci anteceden-
 tia consulamus, (quod in scriptorum
 interpretatione semel est obseruan-
 dum & semper) palam fiet, Hippocra-
 tem loqui de λογισμῶ seu διανοία, ratio-
 ne & ratiocinio, & αἰσθήσει, sensu atque
 perceptione, seu facultate illa mentis

*Diss. XL,
p. 401.*

obiecta externe oblata percipiente & quasi sine ordine confarcinante, postea vero ea ad rationem & iudicium deferente, quo scilicet huius ope, separanda separentur, quaeque sibi respondent, id est inter se inuicem componantur, & quae alia rationis sunt officia & attributa, quae doctè recenset Maximus Tyrius. Iam igitur de αἰσθήσεως illa loqui pergit Hippocrates, eiusdemque mobilitatem, agilitatem, & multarum variarumque rerum ideas captandi, sibi que easdem imprimendi promptitudinem docens, inquit: ὑποληπτέον δὲ τὴν φύσιν κινηθῆναι καὶ διδασθῆναι &c. At, dicat forsan quis, φύσις aliud est quam αἰσθησις, & hinc haec duo non apte συνωνύμως sumi possunt: Respondeo: est interdum aliud, immo ut plurimum; interdum & non: vox enim φύσεως, ut sub huius Exercitationis initium monui, est πολύσημος, & varium admittit significatum. Si igitur ea τῇ νοήσει & διανοίᾳ opponitur, idem est ac indoles, ut & summus vertit Grotius, ingenium, alacritas illa natiua percipiendi aliquid ac retinendi, quod scite Galli exprimunt per *le naturel, le genie, la capacité* &c. atque in hoc significato aliquoties apud nostrum legitur Hippocratem.

*Vid. Schelb.
de Nat. L.
I. c. I. §. IV.
199.*

Sic

Sic in *Lege*, ille, qui perfectam sibi Me-
 dicinae comparare velit scientiam, iu-
 betur ἐπίβολος γενέσθαι Φύσιος, vbi & in
 hanc rem plura; item in *Libro* περὶ εὐ-
 χημοσύνης, eodem sensu dicitur ἡγεμο-
 νικώτατον ἢ Φύσις, quo in loco verba
 mox sequentia notata sunt perquam
 digna: ἡ δὲ Φύσις κατερρύη καὶ κέχυται.
 τῇ δὲ (aut, vt ego, ad sensum diluci-
 dandum, malim, εἴη seu ἔση, quod iu-
 sta est oppositio τῷ κατερρύη καὶ κέχυ-
 ται.) σοφίη, ἐς τὸ εἰδῆσαι τὰ ἀπ' αὐτῆς
 τῆς Φύσιος ποιούμενα: quae superiori-
 bus sane sunt simillima, & ni fallor,
 aperte docent, quod Φύσιος vox, hunc,
 quem dixi, sensum adsumat. Sic & Ar-
 taxerxes Hippocratem laudat θεῖα
 Φύσει κεχρημένον, qua phrasi etiam
 Annibal contra Alexandrum M. vti-
 tur apud Lucianum: ἔτε ὑπ' Ἀριστοτέ-
 λει τῷ σοφιστῇ παιδευθεὶς, μόνῃ δὲ τῇ Φύ-
 σει ἀγαθῇ χρησάμενος: & de Homero
 Maximus Tyrius: Φύσει κεχρημένος
 ἐνθεωτάτη. Accersam & alios Aucto-
 res graecos, qui hanc φύσεως vocem
 hoc sensu vsurparunt: Notandum in-
 primis illud Archytae: φρόνιμος ἀνὴρ
 ἔτος (forte ἔτως) ἀν μάλιστα γένοιτο. Φύ-
 σιος πρᾶτον εὐσόχω τε καὶ μναμονικᾶς,
 καὶ φιλοπόνω τυχῶν, & quae sequun-
 tur: & istud Plutarchi, vbi ad doctri-
 nam (aeque ac supra Hippocrates in

*Epist. ad
 Paeium.*

Dial. Mort.

Diss. XVI.

Paedagog.

Epist. c.
III, 7.

Apotheosi
Hom. p. 83.

De Nat. L.
I. c. I. s. VI.
Sat. I.

Lege) requirit Φύσιν, λόγον, ἔθος, & in tali significatione meminisse etiam apud Galenum me Φύσιος vocabulum legere: Aristidi, eodem Plutarcho Auctore, Φύσις fuit ἰδρυμένη ἐν ἡθελ βεβαίω καὶ πρὸς τὸ δίκαιον ἀτενής: nec secus illa B. Iacobi interpretanda: πᾶσα γὰρ φύσις θηρίων - - - δαμάζεται, τῇ φύσει τῇ ἀνθρώπινῃ. Sic & contrario ille appellatur ἀφύσικος, cui parum aut nihil est indolis ac ingenii, ut de Cleanthe ait Diogenes Laërtius: ἦν δὲ πονικὸς μὲν, ἀφύσικος δὲ, καὶ βραδὺς ὑπερβαλλόντως, ad quem locum ingeniosissimus consulendus est Menagius, qui & ex Thucydide & Platone duo adfert loca, quae huc maxime spectant, conferendus quoque ill. Cuperus, ut alios fileam. Non autem apud Graecos solum ita usurpatam legimus Φύσεως vocem; sed & apud Latinos Graecorum in plurimis imitatores. Sic aliquoties apud Scriptorem vitarum Imperatorum, vulgo Cornelium Nepotem, praecipue *Vita Attici*, item apud Horatium, quin & Ciceronem, prout loca quaedam allegavit Cl. Schelhammerus, aliosque plures: tritissimus quoque est ille *Iuuenalis* versiculus:

*Si natura negat, facit indignatio versum
Qualemcumque potest &c.*

In hoc igitur, quem hactenus adserui,
 significatu, & hic φύσιν fuisse Hip-
 pocratem, ad quem nunc redeo, haud,
 vt puto, obscure, verba sequentia edo-
 cent: ἡ δὲ διάνοια παρ' αὐτῆς (scilicet
 φύσιος) λαβῆσα ὡς προεῖπον, ὑπερον εἰς
 ἀληθείην ἤγαγεν. Ratio vero, inquit,
 ideas & rerum species ab ipsa natura,
 ab ipsa indole, & facultate retentrice,
 vt sic loquar, & repraesentatrice, acci-
 piens, veluti superius dixi, eas postmo-
 dum ad veritatem reduxit, i. e. eas red-
 dit perspicuas, & verum a falso fecer-
 nit. Verba autem, ad quae hic pro-
 vocat Hippocrates (ὡς προεῖπον) sunt
 haec: ὁ λογισμὸς μνήμη τίς ἐστὶ ξυνθετι-
 κὴ τῶν μετ' αἰσθήσεως ληφθέντων, &
 post: ἢτε αἰσθήσις προπαθήσῃ καὶ ἀνα-
 πομπὸς εἴσα εἰς διάνοιαν τῶν ὑποκειμέ-
 νων &c. Ex his quilibet, opinor, iam
 perspicit, αἰσθῆσιν atque φύσιν hoc lo-
 co συνωνύμως ab Hippocrate sumi.
 Quod vero dixit, φύσιν illam κινήσῃναι
 βίης ὑπέσσης, moueri vi quadam impel-
 lente atque potenter; eius rei hanc
 esse arbitror rationem, quod scilicet
 obiecta seu obiectorum effigies irru-
 ant quasi in nostra sensoria, non ine-
 ant. Nam licet mille v. g. adsint ho-
 mines, Tibi tamen vno veluti impetu
 repraesentabuntur, modo sint loco vi-
 sui

fui commodo & adaptato collocati: par fere est ratio cum auditu, & sic etiam in reliquis, hinc recte dicitur obiecta sensus *mouere*. Atque haec, quam haecenus enucleauimus, vera & natiua obscuri alias Hippocratici loci est explicatio. Nunc breuiter videamus, quid Cl. Gundlingio circa ipsum fuerit visum. Quia autem ille doctissimi Schelhammeri interpretationem in primis reiicit, hanc ut prius examinemus, fas esse existimamus.

§. XXIII.

Dixerat nimirum Cl. Sturmius, communi errore seductus, Hippocratis *Θερμὸν* illud esse idolum seu naturam, sic enim eam, ut iam supra, si recte memini, notauit, cum aliis vocitat. Hocce igitur commentum ut Cl. Schelhammerus reiiceret, praesentem hunc ex *Praeceptionibus* locum, in medium attulit, quem sequenti scholio illustrat: *Hic per Naturam universalem rationem, mundique complexum intelligit, per ea, quibus moueatur ac doceatur, causas secundas & corpora se inuicem impellentia, secundum leges Naturae inditas: per vim cogentem impetum DEI, illo potissimo verbo MOVEATUR impressum. Sed haec bene quidem sese habent, nec Hippocrate sunt indigna, ut probabo in sequen-*

*Nat. Vindicat. Vindic.
p. 29.*

quentibus (nam rectissime adseruit
 Vir Cl. Hippocratis Θερμὸν & Φύσιν non
 esse synonyma, nec Hippocratem na-
 turam pro DEO habuisse) Verum huc
 non pertinent. Antecedentia enim, vt
 superius demonstraui, talem non ad-
 mittunt sensum: quid enim ratiocinio
 cum natura & causis secundis, vbi de
 iis nihil plane praecessit? Iustum er-
 go hoc passu Cl. Gundlingi est iudi-
 cium, scribentis, *se in obscuro hoc loco
 DEVM ceu naturae motorem inuenire non-
 dum potuisse.* Verum, vellem hic ad-
 quieuisset vir doctissimus, & suam in-
 terpretationem non addidisset, ea
 enim, si verum fateri liceat, plane est
 nihili: referam eam quam potero fi-
 delissime: *Haec verba, inquit ὑποληπτέ-
 ον &c. &c. nihil, si coniecturae est locus, ali-
 ud significant, quam quod natura in tam
 multis diuersisque rebus, exinde praecipue
 cognosci possit, quod agat vi quadam cogen-
 te: hoc est, modo simplici. Voculam cete-
 rum ὑπὸ mallem vertere in vel sub, quam α
 &c.* Nae! magnus mihi iste erit
 Apollo, qui mihi hocce illustret oracu-
 lum: fane ego hucusque nullum pla-
 ne sensum dicere potui. Mauult qui-
 dem Vir Cl. τὸ ὑπὸ per *in vel sub* ver-
 tere: sed an haec vocula in culpa sit
 sola, quo sensus maneat absconditus,
 sub-

In Decla-
rat sentent.
de Atheis
Hippocrat.
contra Goe-
lick.

subdubito, quin addubito quoque: de-
inde etiam Syntaxis graeca reclamatur,
ὑπὸ enim sequenti passiuo, semper fere
reddendum per *a* vel *ab*, non per *sub*,
multo minus *in*, quod pueri norunt,
& taedet me profecto harum minutia-
rum fecisse mentionem. Ipse Cl.
Gundlingius alibi hanc suam explica-
tionem reiicere videtur, veriusque ad-
ferit, *Hippocratem hic de natura corporis
humani, non autem vniuersi verba facere.*
Vellem igitur, & forte ipse, opinor, Vir
Cl. volet, id non scriptum esse, quod
in Otis ita, vt supra vidimus, fuit scri-
ptum, vt a nemine intelligi possit.
Vnum adhuc ficco transire pede haud
licet, quod maxime facit ad praesentis
loci explicationem. Inueniet, qui cu-
pit, simillimum quemdam immo eun-
dem fere Hippocratis locum, eademq;
verba in *Epicuri ad Herodotum epistola*,
quae ex M. Meibomj recensione, tran-
scribere non pigebit: ἀλλὰ μὴν ὑπο-
ληπτέον καὶ τὴν τῶν ἀνθρώπων φύσιν
πολλὰ καὶ παντοῖα ὑπὸ τῶν αὐτὴν περιε-
σώτων πραγμάτων διδαχθῆναί τε καὶ ἀ-
ναγκαῖον εἶναι. Τὸν δὲ λογισμὸν τὰ ὑπὸ ταύ-
της παρεγγυηθέντα, καὶ ὑπερὸν ἐπακρι-
βῆν. κ. λ. Potest quid similius a diuer-
sis tamen Auctoribus? Sed miror pro-
fecto, nec a Gassendo, in vasto ipsius
in

in lib. X. Diog. Laërtii Commentario, quem, vt obiter id notem, immerito hic carpit Meibomius, nec Meibomio, nec Aldobrandino, nec Casaubonis, nec Menagio denique, doctisfimis Diogenis Laërtij interpretibus, huncce Hippocratis locum fuisse adnotatum: Miror etiam magis ex altera parte, quod nullus ex tanta Hippocratis interpretum phalange, egregium hunc Diogenis locum adnotauerit: interim nescio, an primus ego id obseruarim, & si etiam obseruarim, non glorior, sed miror tantum. Suffulcit autem hic locus Diogenianus meam loci Hippocratici interpretationem superius propositam egregie & ἀναντιλέκτως.

§. XXIV.

Locum iam adgredior in ordine apud Cl. Gundlingiam *Sextum* ex libro περι εὐχημοσύνης seu *de decenti ornatu*, vbi de Medico dicitur: μάλιστ' ἢ περι Θεῶν εἰδησις ἐν νόῳ αὐτῆ (corrupte, lege, vt Foësius vult, αὐτῆ seu αὐτῶ scil. ἰητρῆ seu ἰητρῶ, aut, si retinere velis vocem, quam omnes, teste eodem Foëfio, habent codices, αὐτῆ, loco ἐν νόῳ, leuissima mutatione scribas: ἐννοία αὐτῆ) ἐμπλέκεται. Nolo multa ad hunc locum conscribere, patet enim per se tum ex his, tum sequentibus potissimum verbis,

bis, quam reuerenter Hippocrates de
 diis seu Deo senserit, quamque poten-
 tes eos pronunciarit. Sed quid ad haec
 Cl. Gundlingius? *quis est ille Deus?* in-
 terrogat; & respondet: *aut est, inquam,*
τὸ θερμὸν seu calidum, aut natura, quae ipsi
συνωνύμως (quam egregie!) sumuntur;
aut sunt dii ex calido illo oriundi aequae ac
apud Hesiodum ex mari. Verum vbi vm-
 quam, obsecro, Hippocrates dixerit
 deos ex calido fuisse natos? vbi loco-
 rum calida haecce Theogonia extet?
calidum est hoc, sit venia Plauto, menda-
cium, quod tamen & infra §. XII. *Hipp.*
αὐθιγῶν, reppetit Vir Cl. vbi illud in primis
 ridiculum, quod & Aetherem ex cali-
 do illo adserat fuisse natum, quum ta-
 men, vt supra dictum, ipsum θερμὸν
 idem sit ac aether, qui igitur aether se
 ipsum generare potuerit? sane si Hesi-
 odum, quem prae se ferre vult legisse,
 euoluisset, didicisset Noctem esse Ae-
 theris parentem, vt quidem poëtae fa-
 bulantur. Sed & hoc, vt in transitu mo-
 neam, est falsum, quando putat, deos
 apud Hesiodum ex mari dici progna-
 tos: Nam apud Homerum, potius di-
 cere debebat, qui Oceanum θεῶν γένε-
 σιν vocauit. Ergo & hic Hippocratis lo-
 cus male a Cl. Viro habitus, pro me mi-
 litat, ac contra ipsum pugnat. Hinc iam
 ad

ad septimum locum ex I. de Diaeta, libro, tendo, locum certe notatu dignissimum, quippe solus praeconceptam Cl. Gundl. de Hippocratis Atheismo opinionem eneruare poterit ac penitus prosternere: verba haec sunt: Φύσιν πάντες θεοὶ διεκόσμησαν, Naturam omnes dii exornarunt, vertuntur in Edit. Lindani, pessime admodum & insulse. Sed Cl. Gundl. harum scil. minutiarum negligens, versionem secure, ut assolet, sequutus, ita haec verba explicat, Hippocratem scilicet nihil voluisse dicere aliud, quam deos v. g. Iouem & Martem, tantum ceu ornamentum huius vniuersi esse considerandos: post haec doctissimi Zuingeri interpretationem improbat, qui τὸ διεκόσμησαν, satis, ut nunc apparebit, egregie, per *produxerunt*, reddiderat. Sciat ergo Cl. Vir, τὸ διακοσμεῖν proprie non esse *exornare*, ut habet versio, sed *adornare*, h. e. *concinne & eleganter componere, disponere, ordinare*, item & *gubernare*, quod illum vel Lexica, si ea consulisset, edocere potuissent; & plerumque de scitissima & exquisitissima huius vniuersi dispositione & structura vsurpari. Hinc Suidas: διακόσμησις, τῶν πάντων διάθεσις: Anaxagoras, Diogene Laërtio & Plutarcho testibus, dixit πάντα χεῖματα γεγονέναι ὁμοῦ, ἕν δὲ (scil. θεῶν, ut expresse habet

Lib. II.
Quaest.
Acad.

Pl. Pb. I, 7.

De Dogm.
Plat.
De Anima
Mundi.

Prooem.
Leg.

Hist. L. I.

Plutarchus) ἐλθόντα, αὐτὰ διακοσμήσαι,
ipsa ordinasse & eleganter composuisse, aut,
 vt optime vertit Cicero: *in ordinem ad-*
duxisse: & ipse Plutarchus d. I. verba:
 νῆς διεκόσμησε explicat per τὸν νῆν τὰ
 πάντα διαταζόμενον. Plato, referente
 eodem Plutarcho, statuit, quod DEVS
 τὰ πρῶτα σώματα ἀτάκτως κινέμενα διε-
 κόσμησε, vt τὸ διεκόσμησε pariter, *in or-*
dinem deduxit, vertit Appuleius; simili-
 ter Timaeus Locrus: ἀγαθὸς ὢν ὁ ΘΕ-
 ΟΣ, ὁρῶν τε τὴν ἕλαν δεχομένην τὴν ἰδέαν
 καὶ ἀλλοιζμένην, παντοίως μὲν, ἀτάκτως
 δέ, ἔπειτ' ἐς τάξιν αὐτὰ ἄγει: sic & Za-
 leucus coeli & mundi διακόσμησιν καὶ
 τάξιν laudibus celebrat. Sed notan-
 dum praecipue illud Alcinoi, quando
 de νῶ seu mente dicit: διακοσμεῖ σύμπα-
 σαν φύσιν ἐν τῷ δὲ τῷ κόσμῳ, eadem fere
 ac Hippocratis verba: ipse quoq; Hip-
 pocrates libro eodem de Diaeta primo, di-
 xit πῦρ διακοσμέεται τὰ σώματα κατὰ
 φύσιν, vbi rectissime interpretes: *ignis*
corpus secundum naturam ordinat ac dispo-
nit, quae phrasis in illis de Diaeta libris
 occurrit frequentissime. Et ab hac pro-
 pria significatione, etiam ad alias res,
 vbi concinnus est ordo, trahitur vox
 διακοσμεῖν, διάκοσμος, διακόσμησις. Sic
 Hipparchus Thucydidi dicitur: τὴν πα-
 ναθηναϊκὴν πομπὴν διακοσμεῖν: ita &
 Theages dixit ὅ τᾶς ψυχᾶς διάκοσμος,
 vt

vt alia taceam, quae Salmafius ad Epi-
 ctetum atque Simplicium notat, quae-
 que ex illo ad Democritum Diogenis,
 notauit Menagius. Hinc & ob concin-
 num puta ordinem & dispositionem
 exquisitissimam, hocce vniuersum
 κόσμος fuit vocatum. Eleganter Phur-
 nutus: Καλεῖται! σὺν πᾶσιν οἷς περιέχει
 κόσμος, ἀπὸ τῆς κάλλιστα διακοσμεῖσθαι;
 & Appuleius: *Mundus est ornata ordinatio* *De Mundo.*
DEI munere, & quibusdam interiectis:
Quid, oro te, ornatum atque ordinatum vi-
deri potest, quod non ab mundi exemplo imi-
tatura sit ratio? vnde κόσμος graece nomen
accepit &c. Tale & apud Aristotelem
libro de Mundo saepe iam laudato, inue-
 niendum. Est enim κόσμος, extra *Mundi*
 significatum, idem ac τάξις ac διάθεσις,
 sicut illud Suidas, Erotianus & alii te-
 stantur: Sic apud Arrianum legitur; &
 Thucydidis scholiastes aliquoties
 κόσμον exponit per εὐταξίαν, vt aliis
 plurimis, de re nempe notissima,
 in praesenti supersedeam testimo-
 niis. Ex hisce igitur dictis satis patere
 arbitror, quod verba Hippocratis su-
 perius allegata necessario ita sint ver-
 tenda: *Naturam omnes dii constituere, con-*
cinne composuerunt & gubernarunt. Nam
 id vel ex antecedentibus elucet, vbi
 dixerat diuinus senex: νόμον ἀνθρώπων
 ἔθεσαν, cui θέσει iam opponit τὸ διεκόσ-

μησαν, quod de diis excellentius magisque ad ipsos accommodate dicitur, hinc & statim subnectit: *ὅσοι θεοὶ ἔθεσαν, αἰεὶ ὁρθῶς ἔχει.* Nunc parcat precor Cl. Gundlingius piis optimi Zuingeri manibus, & eius paraphrasin ceu accuratam dictis ex causis & iustam admittat, credatque, *ipsum per eam multum Hippocratem adiuuisse*: Non enim quadrat, quod de aliis paganis Cl. Vir in medium adfert, quasi illi de mundi productione haud recte senserint: quid si enim centum id fecerint; nondum tamen sequitur, Hippocratem nouam inchoasse centuriam, praesertim, quum verba eius haecenus explicata longe aliud edoceant clarissime. Probat autem praesens Hippocratis locus manifestissime, Deum ac Naturam Hippocrati non esse synonyma, & hinc meliore iure Cl. Sturmio opponi a Cl. Schelhammero potuisset, quam ille, qui *ex Praeceptionibus*, superius fuit allatus & explicatus. Addam hic eiusdem commatis alium *ex Epistola Hippocratis ad Abderitas*: *ἐγὼ νῦν*, inquit ibi, *φύσει καὶ θεοῖς ὑπανέμων σπένδω* &c. Miror ergo vehementer, Cl. Gundling. in *defensione contra Cl. Goelikeum*, (qui & ex locis his a me adductis, optime vidit, DEVM & Naturam ab Hippocrate accurate fuisse distinctos) tam audacter

Et er ita scribere potuisse: *Quod si quis vel unum ostenderit locum ex Hippocrate, in quo DEVS clare appelletur separata huius naturae causa, aut ut edocta ab illo describatur aut informata, directa, tum vero me retracturum, quod scripsi, facturumque eidem, quam hodiernis philosophis Medicisque gratiam, spondeo: Retrahat ergo quod scripsit, & vela contrahat, loca adfunt, hem tempus est! Iam & de Θεῶν seu divino illo & supranaturali in morbis, ut putat Hippocrates, aliqua essent dicenda, quoniam & hoc Cl. Gundlingius in suum, ut video, auxilium traxit: sed mihi iam properandum, agam id distinctius alibi; interim tamen, ne plane videar siluisse, allegasse sufficiat Dissertationem inauguralem de *Divino in Medicina* a Mollero quodam Altdorffi 1696. ventilatam docte satis & ingeniose conscriptam.*

§. XVX.

Iam ad octavum locum: *Ἀσώματος ἐν μυχοῖς φύσις*. Circa hunc nihil in praesenti monere volo; Hippocratis enim non est, ut mox dicam; sed quemdam tantum Cl. Gundlingi errorem indicare. Scripsit Hippocrates librum *περὶ φύσιος ἀνθρώπου*, hoc verum: sed scripsit & ut superius iam dixi, Democritus, ut creditur, talem, eumque Hippocrati inscripsit, ut libelli titulus ma-

nifeste docet, inque illo circa finem, verba illa modo recitata leguntur. Haec qua, nescio, invita fortuna, Auctor schediasmatis de *Hippocratis Theologia*, bis allegat, quasi sint ex Hippocratis *de Natura*, libro, & utroque loco, culpa credo, typosethetae (nam ibidem p. 26. recte scriptum est ἐν μυχοῖς) impressum est ἐν μοχοῖς seu ἐν μοχιῶς loco ἐν μυχοῖς. Hunc igitur errorem licet leuem, securissime etiam erravit Cl. Gundlingius, & non solum libellum illum Hippocrati falso adscripsit; sed & verba eadem, prout ibi vitiose extant, iterum ita exscripsit: Ἀσώματος ἐν μοχιῶς φύσις, sensu nihil sane significante, μοχιῶς enim Graeciae plane ignotum est. Unde aliquis (ego illud non dixerim) concludere poterat, Virum Cl. quum Hippocratem ἄθεον scriberet, Hippocratis loca non in ipsis eiusdem operibus euoluisse; sed tantum ex hoc schediasmate exscripsisse. De cuius Auctore obiter hic moneo, eum non esse summe reuer. abbatem Schmidium Helmstadiensem, ut crediderunt haecenus & scripserunt Viri summi Buddeus, Fabricius item & Dornius aliique plures; sed alium quempiam vilioris fortis; qua de re me certiore per litteras fecit Vir celeberrimus & venerandus Praepositus Hermannu-

*Ad Ionf.
Hift. Phil.
L. III. c.
XXXVI.
30.*

mannus von der Hardt. Quod autem, vt in cancellos reuertar, putet ibi Cl. Gundl. paganorum paucissimos, Deum esse *ἀσώματον*, credidisse, illud quidem nego & pernego: Facile enim vel triginta, immo plura loca adferre possem, quae contrarium clarissime probant. Euoluat modo, vt vnum eumque insignem allegem, Vir Cl. *Alcinoi de Doct. Plat. Cap. X.* vbi Autor ille argumentis non protritit demonstrat, Deum omnino esse *ἀσώματον*, atque demum ita concludit: *ἀσώματον ΘΕΟΝ ὑποληπτέον, καὶ γὰρ εἰ σῶμά ἐστι, καὶ φθαρτὸς ἔσται, καὶ γέννητος καὶ μετάβλητος. ἕκαστον δὲ τῶν ἀτοπῶν ἀπ' αὐτῶν;* cui alium addo ex Plutarcho: *ὄχι ὁ ΘΕΟΣ χωριστὸν εἶδος, τῶν ἐν τῷ ἀμιγῆς πάσης ὕλης, μηδενὶ παθητῶ συμπεπλεγμένον:* sed *Physiol. Stoic. I, 8.* plura collegit iustus ille Lipsius. *Locus,* qui nunc sequitur *nonus*, sumtus est ex incomparabili illo libello *περὶ ἰερέως νόσῳ*, vere Hippocratico, & non suppositio, vt sine ratione, & contra Erotiani fidem, adseruit Cl. Gundlingius, atque ita legitur: *ἐμὲν ἐγὼ ἀξιώ ὑπὸ ΘΕΟῦ ἀνθρώπου σῶμα μάλινεσθαι. τὸ ὑποκηρότατον ὑπὸ ἀγνοτάτῳ.* Nescio iterum, quis hic Cl. Viro imposuerit, vt scriberet *ὑποκοιρότατον* loco τῶν *ὑποκηρότατον*, nam apud Auctorem Theologiae recte fuit expressum; sed *ὑποκοιρότατον*

iterum est mostellum. Verum hoc leuius: audiamus potius Viri Cl. in hunc locum meditationem. *Hic locus, inquit, ita est comparatus, vt ex veris Christianorum ideis, DEVM, ceu purissimum & sanctissimum Ens delinearet: sed quia Hippocratis id ait, loquitur (nescio an haec quaedam distincta) scribitue ideo est suspectum.* Quid? inquam hic, an ita concludat Philosophus? nonne hoc est in bonos Auctores esse iniurium? si ego, indulgeat mihi Cl. Auctor, dicerem, v. g. in Gundlingianis interdum boni quidpiam contineri; sed quia ea scribat Cl Gundlingius, ideo esse suspecta & non bona, nonne me risu Cl. Auctor dignum censeret? annon & paganus homo sana vsus ratione, pivm aliquid, sanctum, ac ore christiano non indignum eloqui potuit? id sane nemo negabit, nec ipsi negant Theologi. Illud certum est atque extra controuersiam; quod in sacro illo de *Morbo sacro*, libello tam egregia & pia dicta contineantur, qualia nec ab christiano meliora propemodum expectari poterant, tale & illud: τὰ μέγιστα τῶν ἀμαρτημάτων καὶ ἀνοσιώτατα τὸ Θεῖόν ἐστι τὸ κατὰ ἄρσεν καὶ ἀγνίζον, καὶ ἔρυμα γενόμενον ἡμῶν, & alia plura. Nam ibi & contra Atheos acriter disputat, eosque grauiter & gnaviter perstringit, quod & ipse

[fatetur

fatetur Cl. Gundlingius: & tamen ex eiusdem mente, tantus est, quod mirere, atheus Hippocrates.

§. XXVI.

Sed ad ea quae restant. Refutat Cl. Gundlingius in sequentibus, Excellentissimum Schelhammerum, qui praesertim ex sic dicto Hippocratis iureiurando, sic ait Cl. Vir, probare voluit, Hippocratem nullum fuisse atheum. Sed ea mens, quantum ego quidem ex eius dictis colligere queo, Cl. Schelhammero nunquam fuit. Prouocat enim vna cum iuramento *ad multas pi-*
issimas, en verba ipsius! sententias in scri-
ptis Hippocratis sese offerentes, quod &
 summus fecit Conringius mox allegandus. Nam si ea, quae haectenus expendimus, quae maximam partem piaerant & proba, nil probant, nil quoque probabit iuramentum: sin autem ea aliquid, vt faciunt; tum & istud suum. Quod vero Cl. Gundlingius dubitet, an Hippocratis sit scriptum illud iurisiurandi nomine insignitum; in eo quidem vehementer errat. Scio, fuisse quosdam, qui illud negarent, sed eos solide confutarunt Io. Henr. Meibomius in doctissimo illo ad *iuramentum Commentario*, Opsopoeus in *praefat. opusc. Hipp.* & qui primo loco poni debebat, Conringius in *Antiquit. Academ.*

De Natura
I, 2. 21.

Diff. II. §

IV.

Sed & ego alibi demonstrabo, quod sine vlla ratione asseratur, illud Hippocratis non esse foetum. Vnum in praesenti adferam ex Aristophane testimonium, nescio an vlli obseruatum. Est illud in *Thesmophoriazusis* inuenire, vbi personae Mnesilochus, Agathon, Euripides. Mnesilochus muliebri iudutus veste, ad agendam eo melius Euripidis apud feminas causam; iuramentum ab Euripide exigit, vt succurrere velit, si quid aduersi sibi contigerit: consentit Euripides in angustiis anhelans, & per *Aetherem Iouis domicilium* iurat: sed Mnesilochus hoc nondum contentus iuramento, vt maiore suam obstringat fidem, instat, hincque interrogat:

Τί μᾶλλον; ἢ τὴν Ἴπποκράτους ξυνοικίαν;
Quid amplius? num per Hippocratis con-
tubernium

(*Deorum scilicet iuras?*)

Iurat igitur in hunc modum Euripides:

Ὅμνυμι τοίνυν πάντας ἄρδην τὰς θεάς,
Iuro ergo omnes omnino Deos.

Ex quibus quilibet, credo, perspicit, Aristophanem hic, vt solet, notare voluisse Hippocratis iuramentum, cuius hocce est initium: Ἀπόλλωνα, & post: καὶ θεάς πάντας καὶ πάσας ἰσορᾶς ποιούμενος, quos deos comicus contempnim hic appellauit Ἴπποκράτους ξυνοικίαν.

Sic

Sic & Hieronymi locus ex *Epistola ad Heliodorum III.* plus certo probat, ac Cl. Gundlingius credidit: Non enim meminit solum Vir sanctus, Hippocratem suos ad egisse discipulos, ut iurarent iusiurandum, sed & meminit, quod Cl. Vir aut non perspexit, aut quod verius existimo, perspicere noluit, quid illi iurauerint, *silentium* puta, & quae ibi sequuntur. Quum igitur pleraque illorum, quae a suis discipulis exegisse dicitur apud Hieronymum Hippocrates, in sic dicto iureiurando Hippocratis hodie extant: sequi videtur haud obscure, hoc ipsum iusiurandum Virum sanctum indigitasse. Sed de his omnibus alibi, ut dixi, fufius & solidius. De cetero hic in Hippocratem summe iniurius pro more, est Cl. Gundlingius, quando scribit, religiosissimum senem *hoc iuramentum ex consuetudine tantum & maiorum more, iurasse.* Profecto, si quidquam Veteres umquam fuerunt reueriti, id iusiurandum fuit, ut apud Homerum, Hesiodum aliosque insignia plane loca extant, adeo ut & ipsos christianos, si viuerent, in pudorem daturi essent. Porro nec illud Cl. Gundlingio condonandum, quum ait, Hippocratem *per Aesculapium ita forte iurasse, ac Socratem per Capparim & Zenonem per Plata-*

L. II. c.
XXI III. I.

num notum est. Quid enim? quasi vero iuramentum per alias quasuis res quam DEVM, factum, etiam non obliget, eiusdemque sit efficaciae, ac si expresse Deus, a quo res istae mediae, per quas iuratur, proueniunt, nominatus esset: Euoluat Cl. Vir summum Grotium *Iure Belli & Pacis*, qui eum aliud longe docebit.

§. XXVII.

Tandem & locum attingo *decimum* atque vltimum, ex Libro de *Aëribus, Aquis & Locis*, haustum; ex quo Hippocratis ἀθεότητα impiumque ipsius de diis conceptum maxime patere Cl. Gundlingius opinatur. Locus est verbosior, ideo eum non exscribam, dicam tantum breuibus, quid ibi Hippocrates. De Scythis loquitur vt plurimum eunuchis & in venerem frigidis, at huius mali causam diis adscribentibus. Hoc igitur superstitiosum vulgi commentum vt confutat Hippocrates; hanc Scytharum sterilitatis causam non diis, sed causis mere naturalibus, crebrae puta equitationi, & ex inmortuo quasi particulae salacis vigori rigori que, atque adornatae plerumque intempestiue, iuxta aures phlebotomiae &c. adscribendam esse, luculenter demonstrat, atque inde concludit, quod si haec sterilitas im-

medi-

mediate a Deo proueniret, sequi & pauperes & diuites Scytharum (hi enim postremi maxime illo laborabant malo) eadem infestari, immo pauperes magis, qui non aequae ac diuites diis opimas mactarent victimas, eosque (modo illi honores a leui popello sibi exhibitos, quod expressis addit Hippocrates, curent & respiciant) impense colerent, sed potius carperent & execrarentur, quod sibi quoque nullas essent opes elargiti: Ob haec igitur, concludere pergit, crimina & reuerentiam debitam diis denegatam, pauperes potius ac superum contemptores fas esset, ita punirentur, quam diuites & nobiliores, qui nec contra deos insurgerent, nec cultus ipsis debitos recusarent. Et haec vera est verborum illorum sententia, nihil demsi, nihil addidi, nihil torfi. Quid igitur in his impium sit, vt putant Mercurialis, Septalius & Cl. Gundlingius; ego profecto nescio. Deum iustum esse, & cum mortalibus ἀπροσωπολήπτως agere, ibi perspicue docetur, quod & recte *auctor Theologiae Hippocratis* obseruauit, male & sine iure hic a Cl. Gundl. reprehensus: Deum ultorem contemptorum sui nominis esse grauissimum, itidem ibi monetur, consentiente quoque ipsa Scriptura Sacra.

Nam

Nam *ἀμαρτίας*, peccata ceu caussam
sterilitatis, & poenae, adfert Hippocra-
tes. Falsissimum hinc, & ab Hippocra-
tis mente est alienissimum, si dicat Cl.
Gundl. quod Hippocrates eo loco exi-
stimauerit, solos locupletes, non aeq;
pauperes, rite deos colere posse; vbi
enim quaeso est tale? dicit potius, vt
iam supra demonstraui, diuinus senex,
pauperes ob sua crimina (si a diis ma-
lum illud petendum) & in deos conui-
tia, non autem ob paupertatem, ita pu-
niri, hoc enim cum DEI iustitia, quam
supra laudauerat Hippocr. neutiquam
concordat: conferatur hic Camillus
Flavius in *paraphrasi huius loci p. 90. sqq.*

*Adsumus, & portus delati intramus
amicos.*

Finit hic Cl. Gundlingius; ideo & ego
hic pedem figo, atque demum huic
meae Exercitationi colophonem im-
pono. Aperte satis, opinor, demonstra-
vi, Hippocratem a Cl. illo Viro *Athei-
smi falso fuisse accusatum*. Omnia Hippo-
cratis loca, quotquot ille allegauerat,
diligenter examinaui, excussi, & con-
usti etiam, vbi infeliciter & ab Hip-
pocratis mente aliena cesserat (cesse-
rat autem *ἐκτὸς πικρίας ἀπάσης λέγω*,
vbiuis) ipsius interpretatio. Sensum
illorum naturalem & genuinum sem-
per, quantum potui, indagaui, demon-
stravi,

strauī, dilucidauī, nullum finxi, nul-
 lum extorſi, nullum inuitum in meam
 defenſionem traxi, quod Viro Cl. fa-
 miliariffimum, a me alieniſſimum.
 Longus nonnumquam fui & verbo-
 ſus, atque multa, non diffiteor, dixi, ſed
 multa, non ſterilia & ſuperuacua, ſed
 ſcitu digna: in quibusdam tamen et-
 iam parcior fui, vbi nulla obſcuritas &
 caligo, nullus ſenſus abditus. Stili
 acerbitatem ſemper, quantum in me
 fuit, cohibui, impediui, temperaui:
 ſcio enim, quem debeo Cl. Gundlin-
 gio honorem, Viro docto & ingenio-
 ſo. Si tamen praeter ſpem & mentem
 verbum quoddam ambiguum, mor-
 dax aut duriuſculum exciderit, ſciat il-
 le, id me inuito & nolente, inque res
 magis & vera, quam verba intento, fu-
 iſſe ſcriptum, vt hinc mihi ignoſcat.
 Ceterum, ſi qua in hoc ſcripto reperi-
 antur, quae ſubacti iudicii Lectoribus
 minus probari poſſint, & culpa in te-
 neram illam, qua ſcripſi, aetatem rei-
 ciatur, mihi que hinc venia detur, rogo
 atque obteſtor. Fuit vero Hippocra-
 tes, vt & eum non obliuiſcar, Vir ſapi-
 ens & illuſtris, *omniſque in Medicina boni*
dux, vt Galenus ſaepe ait, & *Auctor*, ſed
 ſimul Vir pius, probus, aequi & iuſti
 obſeruantiffimus, a furo, inuidia, aua-
 ritia, libidine, partium ſtudio &c. re-
 motiſſi-

motissimus, & quod maximum & praecipuum, religiosus & honorificentissime de DEO sentiens, atque hinc nequaquam Atheus: Fuit tamen Atheus, fuit & non fuit, vt tradidit Cl. Gundlingius; sed fuit; dum Christum nobis vere ἔσθαι (vt ipsius Hippocratis vocabulo vtar) factum nesciret: sic enim Ephesii Apostolo ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ dicuntur.

Sed satis. TV quisquis es, LECTOR, qui me hucusque patienter es sequutus, & vt spero, assequutus, Vale mihi que faue!

Multaque praeterea Tibi possum commemorando

*Argumenta, fidem dictis, conradere nostris;
Verum animo satis haec vestigia parua
sagaci*

*Sunt, per quae possis cognoscere cetera
Tute:*

*Namq; canes vt montiuagae persaepe ferai
Naribus inueniunt in tectas fronde
quietes,*

*Quum semel institerunt vestigia certa
viai:*

*Sic aliud ex alio per Te Tute ipse videre
Talibus in rebus poteris, caecaeq; latebras
Insinuare omnis, & verum protrahere
inde.*

T A N T V M.



INDEX

RERVM PRAECIPVARVM.

- A**ether, vnde dictus & quid? pag. 69. sqq.
Deorum fuit habitaculum p. 70. item
& animarum, p. 72. vnde euenit, vt
pro Deo haberetur, p. 76.
Anima rationalis, quid? p. 55. non idem
est ac Natura, p. 27.
Animalia bruta ratione an careant? p. 32.
sqq. Medicinam norunt. p. 38.
Aqua & ignis, rerum principia, p. 48.
Aristophanes explicatur, p. 106.
Atheus quis? p. 12.

Caelum, Dei sedes vocatur a sacris aequae
ac profanis auctoribus. p. 73. figurate
pro ipso Deo vtroque sumitur. p. 74. 75
Calidum Hippocratis quid? p. 53. sqq.

כבוד quid? p. 61.
κόσμος, vnde & quare? p. 99.

Democritus, Hippocratem in physicis &
moralibus instruxit. p. 52. eius scripta
ibid. item p. 101.
Deus, cum igne comparatur in sacris litte-
ris, p. 61. item in philosophorum scri-
ptis

INDEX

- ptis p. 64. sqq. & cum sole p. 65. eius definitio secundum Stoicos p. 68. proprietates iuxta Hippocratem p. 55. defini nequit, ipsis fatentibus paganis p. 80. incorporeus est iisdem asserenti- bus p. 103.
- Diogenes Laërtius emendatur p. 71.
- Διακοσμεῖν quid? p. 97. sqq.
- Δύναμις apud Hipp. quid? p. 45.
- Galenus laudatur p. 14. 29. 30. explica- tur p. 86.
- Hippocrates, laudatur, p. 7. 111. explica- tur p. 29. sqq. 41. 45. sqq. 82. 87. 96. 97. 103. 108. emendatur, p. 89. 95. eius principia physica p. 49. Homerum sequitur *ibid.* Democriti discipulus quomodo? p. 52. Deum figurate ignem ac calorem dixit, p. 56. 62. eum a Natu- ra distinxit, p. 100. eius Theologiam quis scripserit? p. 102. contra Atheos disputat. p. 104. Auctor est iurisiuran- di, ipsi adscripti p. 105. sqq.
- Ignis Deus in sacris litteris vocatur p. 61. rerum est principium p. 48.
- Iustum* sensum duplicem habet. p. 41.
- Medicus quid? p. 26.
- Medicinam animalia exercent. p. 38.
- Morbus quid? p. 25.
- Mors

Mors quid? p. 27.

Mundus quare κόσμος; p. 99.

Natura est vox πολύσημος p. 22. vni-
 versi quid? p. 19. sqq. 47. Humana
 quod? p. 24. sqq. non est anima ratio-
 nalis p. 27. in brutis quid? p. 37. sqq.
iusta quo sensu. p. 43. idem est ac in-
 genium p. 88. sqq. Hippocrati non
 idem ac Deus. p. 99.


Potentia apud Hipp. quid? p. 45.

Ratione animalia bruta non destituuntur.
 p. 32. sqq.

Soli Deus comparatur, p. 65. Cur pro
 Deo ipso cultus fuerit sol. p. 66. sqq.
 Stoici quomodo DEVM definiant,
 p. 68.

Theologiae Hippocratis Auctor quis?
 p. 102.

Verſio Hippocratis emendatur, p. 58.
 83. 97.



Insigniora paratypomata, quae ita corrigi possunt, & ob AUCTORIS absentiam excusari debent.

Pag. II. pro πόδεν lege πόθεν. p. 40. pro selecta
selectu. p. 46. pro Boydanil. *Bogdani.* p. 49. pro
Bagliutus l. *Bagliuus.* ibid. pro fouisse lege *fou*
p. 55. pro prorietatibus l. *proprietatibus.* p. 66. pro
visilibus l. *visibilibus.* p. 68. expungatur *sunt.*
71. pro Αιδέσα l. *Αιδέσα.* p. 73. pro σχηματικῶς
σχηματικῶς. p. 75. pro sapienter l. *sapientes.* p. 77
pro λέληθεν l. *λέληθεν.* p. 87. pro παραγγελίας
παραγγελίας. p. 93. pro dicere l. *elicere.* p. 97. pro
quippe l. *quique.* p. 98. pro uti l. *ubi.* p. 103. pro
μαίνεσθαι l. *μαίνεσθαι.* p. 106. lege Ὀμνυμι Ἀπό
λωνα. p. 107. pro certo lege *certe.* p. 108. pro con
futat lege *confutet.* p. 111. pro ut ignoscat l. *Et igno*
scat. ibid. pro & culpa, lege *ut culpa.* p. 112. post ver
ba & non fuit, inferendum est *non fuit,* praeuio t
men colo aut puncto.

Reliqua sphalmata quae minora sunt &
vel ad interpunctiones, vel accentus &
litterarum transpositiones &c. spectant
digna non visa sunt quae adnotarentur.







15.

ex auct. Sinterioriana 1789 instituta

